

Gaudere utrum oder so ich mich freue
Præsens. Singulariter cum.

S O N J E N C T I V S

Gaudere utrum oder so ich mich freue
Gaudere utrum oder so ich mich freue
Gaudere utrum oder so ich mich freue
Pluraliter utrum.

Gaudere utrum oder so ich mich freue
Gaudere utrum oder so ich mich freue
Gaudere utrum oder so ich mich freue
Singulariter utrum.

gestreuet.

Gaudere utrum oder so ich mich freue
Gaudere utrum oder so ich mich freue
Gaudere utrum oder so ich mich freue
Pluraliter, utrum.

gestreuet.

Gavisus einer der sich hat gefreuet.

Futurum.

Gavisurus einer der sich freuen wird

E X E M P L A.

Audeo ich vmerstehe mich / ausus. si

Soleo ich pflege / solitus sum, solere.

Prandeo Ich esse zu Mittag / pransi
prandere.

Mæreo ich trawre / mæstus sum, mæren.

D E P A R T I C I P I O.

Tempora Participiorum quot sunt?

Tria.

Quæ?

Præsens in N S. ut amans.



TM 0531

Handwritten text, possibly a signature or date, located in the lower-left quadrant of the page.

Faint handwritten text or markings located near the bottom edge of the page.



Substitutio Compendiosa.

2.

TM 0531

Husekamp 2 Bde. 6 Nov
Erbn. 1807

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

10. 3. 1992


Enthält außer
drei Schriften von
Joh. Heinr. Ursinus
vor allem:

Joh. Konrad Dammhauer:

Illex et obex pacis
ecclesiarum sanctae.

Argentorati 1666.

des annotan



H

1.

2.

3.

S

Sum



S. JEREMIÆ,
VIRGA
VIGILANS
ET
OLLA SUCCENSA

Occasione

Terribilis nuper visi

COMETÆ,

proposita, & illustrata

à

JOH. HENRICO URSINO.



NORIMBERGÆ,

Sumptibus Hæredum JOHANNIS
TAUBERI.

Typis CHRISTOPHORI GERHARDI.

ANNO M. DC. LXV.

LIBRARIUS
VIRGILIANUS
OILIA SUCCEANA
COMETA
IN REHENCO HERMIO



pe
ip
v.
pe
de
te
ad
da
ap
v.
m
in

u
32



☼: (3): ☼



A & Ω.

P R O O E M I U M.

I.

Gladium vindictæ justus scele-
rum ultor D E U S triplici modo
gestare perhibetur: 1. *In vaginâ*,
accinctum femori; dùm, quamvis
armatus jam, tamen adhuc patiens,
peccatorum Conversionem expectat, malens
ipsorum pœnitentiam quàm pœnam, Psalm 45.
v. 4. 2. *In ore*, nudatum; dùm bellum palàm im-
pœnitentibus indicit, & supplicia, quæ sceleribus
debentur, comminatur, quâ Verbis, quâ signis
terribilibus: quæ tubæ instar creaturas in prælium
adversus rebelles excitant & ad arma vocant; quæ-
dam q. *Cœli Lingua*, ut Stellam Magorum Ducem
appellavit S. Augustinus, Apoc. i. v. 16. cap. 19.
v. 15. Denique 3. strictum & acutum *vibrat ma-
nu*, cum jam inexorabilis quodammodò furit, &
implacabiliter ferit obvios quosque:

Namq̃, injustorum justos mala ferre necesse est,
ut est apud S. Prosperum, Psalm. 7. v. 13. 14. Deut.
32. v. 40. 41. Ezech. 21. v. 9. & antè 3.

A 2

2. E

2. Ea verò perditorum hominum socordia & securitas est, ut neque paternis blanditiis se duci, neque severis comminationibus flecti, neque horrendis suppliciis frangi patiantur; dùm tandem planè efferentur, brutescant, & in exitium, quod merentur, eant præcipites. Ità iisdem mediis quibus boni meliores fiunt, mali evadunt pejores:

*Limus ut hic durefcit, & hæc ut cera liquefcit,
Uno eodemq; igni!*

3. Neque hoc impiis accidit sine tremendo, sed justo, DEI judicio: Verè enim dictum est; *neminem celerius opprimi, quàm qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis, Securitatem.* Scilicet cum fata jam prævalent consiliis, omnemq; animi aciem præstinguunt: *Quippè ità se res habet, ut plerunq; quibus fortunam mutaturus est DEUS, consilia corrumpat, Vellejus Patere l. 2.*

4. Nostra tempora nec accusare, nec deplorare libet. Utrumque vulgare & tralaticium est: nulliq; hîc disertiores sunt, quàm qui non vident *id mantica quod in tergo est.* Qui nuper in coelo fulsit Cometa, quamvis terribili face omnes ferè gentes, spectatoresq; toto orbe adverterit & affecterit; tamen à plerisque jam susque deq; habetur: nec desunt qui omnes artes advocant, ut doceant hæc naturæ abortantis portenta contemnerent. Neque vituperandi essent, qui inveteratæ forsitan superstitioni cuperent opponere remedium; nisi quo collyrio oculos parant ad acutiùs cernendum

dum inungere, eodem omninò extinguerent, & ut veteri verbo dicam, *elacificentur*.

5. Absit à Christianis mentibus profana vanitas. Non metuamus *Cœli signa*, uti qui non metuunt DEUM, Mundi fabricatorem & judicem. Tutiores tamen sunt qui timent dubiâ mente, quàm qui temerè feruntur securâ. Naturam magistram de talibus possumus rejicere; quia tacet; & non audire experientiam; quia fallax, aut incerta est: Quid Divina Oracula? quæ & clamant, & neque falli possunt, neque fallere? Quid deinde rerum nostrarum quis status, temporum quæ conditio sit, an ignorare possumus, ut pueri? aut non videre, ut cœci? Nihil mali prænuncient isti in Cœlo ignes, si nihil est, quod jure metuamus: inò aliquid boni, si quidquam sperare audeamus.

6. Verùm, ubi Divina extant de Cometis Oracula? Dicam, cùm priùs de *Geminâ S. Jeremia Visione*. Hanc videre DEUMq; audire interpretem, operæ erit pretium. Postea statuat quisque quod animo allubescet: Suum cuique pulchrum, mihi metum. Eventus judicium comprobabit.

VISIO S. JEREMIAE,

Cap. I. v. II. & seqq.

7. Versio vulgata: *Et factum est Verbum Domini ad me, dicens: quid tu vides Jeremia? & dixi: Virgam vigilantem ego video.*

A 2

V. 12.

v. 12. *Et dixit Dominus ad me ; Benè vidisti : quia vigilabo ego super Verbo meo, ut faciam illud.*

v. 13. *Et factum est Verbum Domini secundo ad me dicens : Quid tu vides ? & dixi ; ollam succensam ego video, & faciem ejus, à facie Aquilonis.*

v. 14. *Et dixit Dominus ad me ; ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terra.*

v. 15. *Quia ecce Ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus, & venient, & ponent unusquisq; solium suum in introitu portarum Jerusalem, & super omnes muros ejus in circuitu, & super universas urbes Juda.*

v. 16. *Et loquar judicia mea cum eis, super omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, & libaverunt Diis alienis, & adoraverunt opus manuum suarum.*

Hanc interpretationem cum fontibus & aliis versionibus, inter explicandum, conferemus, compendii gratiâ.

8. Præmitto autem, oblatam visionem istam Prophetæ nostro in ipso vocationis Divinæ initio: Anno scilicet Regis Josiæ XIII. quo ipso Nabuchodonosor M. Babyloniorum Rex, junctis cum Prolocero Cyaxare Rege Medorum, cujus Neptim in matrimonio habebat, viribus, Nineven Assyriacæ Monarchiæ Metropolin, cepisse, & tandem evertisse post annos aliquot, fertur: vide quæ ex diversis Chronologis dixi, in Isagogâ p. 169. 170. & h. l. Cornel. à Lap. Illud indubium, incidisse hanc visionem

tionem in primordia surgentis Monarchiæ Baby-
lonicæ, quam DEUS ideò voluit suscitare &
extollere, ut fastum & insolentiam Regni Judaicæ
deprimeret. Evénit hoc annis pòst XL. occupa-
tâ à Babyloniis Hierosolymâ. Hic visionis nostræ
fuit eventus.

9. Eam, ut per partes explicemus, considera-
bimus 1. *Materialiter*; Quid viderit Propheta?
2. *Formaliter*; quo fine? & quæ visionis significa-
tio fuerit?

De PRIMO: Quid vide- rit Jeremias.

Duo indicantur; inter se tamen, ut sine & signifi-
catione, ita & tempore ac loco conjuncta; *Virgam*
primò *vigilantem*; *ollam* deindè *succensam*, vidisse
ait.

10. Virga vigilans in fontibus Hebraicis
est, מַקֵּל שְׂכָדֵד *Makkel Schaked*. *Makkel* propriè
Baculus, voce videlicet non abludente ab Hebræâ,
M. cum B. ejusdem organi elemento permutato, ut
ait Marinus in Arcâ Nohæ. Avenarius conjicit
per literarum Metathesin hinc dictum *Calamum*.
Derivari videtur à *Kalal*, q. d. baculum *levem*, quæ
manus gestantis non oneret, aut & *lævem*, *leviga-*
tum, politum: quales sibi è lignis decorticatis fa-
ciebant *pastores*, Gen. 30. v. 36. I. Sam. 17. v. 41.
Zachar. 11. v. 7. &c. Ponitur etiàm pro baculo,
Viatorum, Gen. 32. v. 10. Exod. 12. v. 11. *equitan-*

zium, Num. 22. v. 27. & pro Sceptro Regio, Jerem. 48. v. 17. cum epitheto, *baculus gloriae*. Quid inter sit inter, מטט *Matte*, פלפ *Pelech*, שבש *Schebbet*, משש *Mischan*, quibus ferè nominibus ista gestamina manuum, quæ vel dignitatis insignia, vel gressuum fulcra, vel defensionis, aut aliorum instrumenta sunt, ab Hebræis appellantur, inquirere non est hujus loci.

11. Epitheton baculi *Schaked*, à radice *Schakad* festinavit, sedulus fuit, maturavit, vigilavit, varias admittit interpretationes: propriè amygdali nomen est, ut dixi Arboreti Bibl. cap. 31. ubi de h. l. Jeremiæ. Hinc LXX. habent Βακλινεϊαν καρπινην, Theodotion, ἀμυγδαλίνην, Aquila & Symmachus, γρηγορῶσαν, ut Vulgatus, *Vigilantem*. Cætera mox dicam, & expendam.

12. Venio ad ollam succensam: סיר נפוח *Sir naphuach*, Hebr. *Sir* vas coquinarium rotundum significat, in quo ad ignem admoto, carnes & pulmenta coquuntur. Vulgatus *ollam* & Græci λέβητα habent. Levitæ 2. Paralipom. 35. v. 13. dicuntur coxisse, *sanctificata*, hostiarum carnes, *Basiroth*, *ubaddvadim*, *ubaxzelachoth*, in lebetibus, *cacabis*, *ahenis*, *ollis*, *caldariis*, &c. LXX. habent ibi χαλκεία καὶ λέβητας: hîc verò λέβητα ὑποκαίόμενον. Vocabulum tamen *naphuach* propriè indicat, *exsufflatam*, quod quidam *ebullientem*, *ferventem*, vertunt: Emphasis est in Hebræo: quod, ollam aheneam, circumdatam flammis, easq; quod undique eructantem, ut fit, cum vehementi flatu
inspi-

inspiratur. Causa ponitur pro effectu, ut Jobi, 4. l. v. 12. Esa. 54. v. 16. Ezech. 22. v. 20.

13. Hinc colligo vidisse Prophetam nostrum in cœlo

COMETAM.

Quod ut obtineam, 1. præmitto; *visionem hanc non fuisse imaginariam, sed externam, sensibilem, oculis ipsius objectam*; quomodo Moses vidit Rubum ardentem, Exod. 3. v. 2. Verba clara, bis vidisse, significant. Neque ulla apparet ratio, cur à propriâ verbi, *videre*, significatione recedendum sit? Imò contrâ est, quod à certo cœli cardine vidisse advenientem ollam dicitur. Quid opus erat, ut imago hæc in imaginativâ efformaretur? aut quomodo depingi potuit? quàm multa hîc addenda & inferenda verbis Prophetæ, ut hæc per imaginationem oblata intelligantur? Scilicet: & cum Dominus imaginationi meæ formam, primò baculi, deindè ollæ, impresisset, sive per semetipsum, sive ministerio angeli alicujus factum est Verbum ejus ad me, dicens: Quid vides? id est, oculis feriantibus & otiosis, quam imaginem animo concepisti? vel ut apud Ghislerium est; *quidnam est illud, quod Prophetarum more imaginariâ visione intueris?* aut ut apud Castrium; *ostenso spectro, hunc ad me sermonem fecit Dominus, &c.* Talia interponere nulla urget necessitas. Potuit enim videre oculis corporeis, ut cœlum ipsum, verso vultu in Aquilonem: imaginatione non potuit; nisi Cœlum quòque & terra, oculis à sensu abductis,

A s

ductis,

ductis, animo per spectrum repræsentarentur. Verùm etiã finis visionis & utilitas persuadet, vidisse quod verè visibile esset, & ab aliis quoque conspici posset, ac deberet. Vidit enim non sibi, sed universo Populo. Itaque quod Ghislerius habet in Paraphrasi: *Enarra amodò, quid singulariter videas, quod ab aliis minimè cernitur: Tu instar totius Judaici populi oculus intuens, quæ illi imminèant, expone, quod cernis, ut quantum in te est, id ab eis evitari queat: partim accipio, partim respuo. Accipio; Prophetam. Videntem scilicet, quod Prophetarum proprium nomen est, totius Populi in hâc visione oculum fuisse, ut & ad videndum adverteret securos, & visum ipse divino oraculo interpretaretur: Solum vidisse, neque verba indicant, quibus nisi cogat necessitas, nihil addendum est; & finis refutat. Frustrà puto vidisset, si sibi soli. Nam si in ipso muneris sui exordio, spectrum tale vidisse narrâisset, somnium narrâsse creditus, fidem apud præfractum populum nullam invenisset. Novo igitur prodigio de cœlo, Prophetæ firmanda erat auctoritas, oculisq; prius apertis aures erant contumacibus reserandæ, animusq; ad attentionem excitandus. Accedit ratio ab ipso visionis tempore: Nam eo ipso anno Rex Josias in eam curam seriò incubuit, ut eversis idolis, destructisq; sacellis, avitam religionem restitueret, 2. Paralipom. 34. v. 3. & seqq. Sed & circa hunc articulum temporis surgebat nova Babyloniorum Monarchia, exitio regni Juda. Has regno-*

ram

rum mutationes prodigiis prænunciari solere quis nescit? Et si nulla tunc temporis conspecta fuissent; nihil insolitum, visuq; horrendum, mentes exterruisset; quis prudenter Prophetæ credidisset, visa sua narranti, ultimamq; cladem minitanti regno, quod, tam pius & de pietate tam sollicitus, Rex tunc administrabat? quem, nisi mors cruenta rebus humanis exemisset, aureum quoddam seculum in Judæam reducturum, quis non sperasset? Quid? quod in Novo Prophetâ, homine adhuc juveni, nihil reperiebatur, quod aliquam auctoritatem ei conciliare posset, apud auditores, imprimis in summâ dignitate constitutos. Itaque, quod & aliâs fecit Sapientissimus juxta ac optimus, Maximus D E U S; insolito aliquo signo præparandi erant animi, nondum planè obdurati, ut fidem dicenti haberent, poenasq; poenitendo si non omnes, tamen æternas evitarent. Ita *Hosea* Prophetæ mirabile connubium, pestis locustarum tempore *Joëlis*, *Amosi* terræ motus, quæq; spectra Regibus Babylonii tempore *Danielis*, dormientibus aut vigilantibus, oblata fuerunt, animos excitârunt & erexerunt, ut rebus præsentibus admoniti, post facta, Verba D E I admitterent, aut si spernerent, nullam postea excusationem invenirent. Quamobrem ita censeo; visionem hanc fuisse sensibilem, nec à solo Prophetâ conspectam: idq; & vero similis, & suavi providentiæ divinæ rationi esse convenientius. Quod & PP. Græcis placuisse, audiemus.

Segnius

Segnius irritant animos commissa per aures.

Quam qua sunt oculis subjecta fidelibus.

14. Jam quod Cometam viderit 2. probe: 1 per
εισακευην aliarum interpretationum. Nam edisse-
 rat nobis aliquis, quomodo potuerit videre bacu-
 lum aut Virgam vel vigilantem, vel festinantem,
 vel nuceam, aut amygdalinam? Audio Hebrai-
 zantes; visam fuisse *virgam amygdalinam*, quod
amygdalus prima floreat, fructumq; maturet, qua de
 re dictum satis in Arboreto cap. 31. cit. Audio Græ-
 cos; *Virga amygdalina celeritatem vindictæ indi-
 cat: floret enim hæc arbor ante alias*, sic Theodore-
 tus h. l. led cur *nucea* dicitur? *Quia lignum hoc*
εἰρημὸν καὶ βαρὺ, καὶ πλανητικόν, ut Severus in Catenâ,
 & Olympiod. aut quia *nux naturâ suâ vigilias indu-
 cit*, *ἀγρυπνίας συντητικόν* ἐστίν, iidem. Sic Cyrillus
 Alexandrinus: *nuceam Virgam capiti suppositam vi-
 naturali efficere vigilantiam*, l. 10. de Adorat. Au-
 dio Hieronymum; *Quomodo Nux, sive Amygda-
 lus, amarissimum habet corticem, & testâ durissimâ*
cingitur, ut detractis austerioribus & duris, fructus
dulcissimus reperiatur: Sic omnis correptio, & labor
continentiæ, amara quidem videtur ad præsens, sed
fructus parit dulcissimos. Hæc quidem ita sunt;
 Verum cum certum sit apud omnes; non bacu-
 lum verum, sed formam baculi visam, rogo; quo-
 modo potuerit Propheta nuceumne, an amygda-
 linum viderit discernere? aut materiam discernere?
 Hic nihil apud Interpretes invenio: nisi quod
 Ghislerius animo advertit hoc quæri posse, & Pa-
 raphrasin

raphrasin sic instituit: *Videō Virgam absq; ullo vel
florum, vel foliorum decore: imò ita atram & aspe-
ram, ut gravem illam appellem baculum nuceum, ad
percussionem paratum: quam & ita celerem suā ipsa
denunciat vibratione, ut & amygdali illam dicam.*
Sed hāc ratione non vidit ille baculum nuceum,
aut amygdali; verū talem, quem ipse utroque
nomine appellavit, cū ex neutro esset ligno.

15. Esto tamen, viderit aliquid baculo sive nu-
ceo, sive amygdalino simile, potueritq; tam accu-
ratè cognoscere, cujus ligni esset? Quoniam mo-
dò verò vidit vel *vigilantem*, vel *festinantem*?
Hugo Cardinalis, *Virgam vigiliarum* aut *Vigilan-
tium* intelligit *Uncinum Latronum*, quo de nocte *Vi-
gilantes dormientium bona per fenestras extrahunt:*
ut Judaeæ exspoliatio significetur: quod refellit Lyra.
Maldonatus notat, non potuisse quosdam intelligere,
quomodò *Virge vigilare conveniat*? Quare ipse ex-
plicat; *Virgam visam Vigilantis D E I:* aut *Vigilan-
tem*, id est, *nimis manè surgentem, nimis festinè ger-
minantem.* At hoc est nodum nodo solvere. Re-
currit enim quæstio: Quomodò vidit ille *Virgam*
nimis manè surgentem? aut undè cognovit, esse
de ligno nimis festinanter germinante?

16. *Viegas* apud Cornel. à Lap. h. l. *Vigilan-
tem* exponit *oculatam, vel oculos apertos & vigiles*
habentem. Sic ajunt Ægyptiorum Hieroglyphico
D E U S significabatur *baculo* aut *sceptro*, cui in-
sculptus, aut impositus esset oculus: quod & Castrius
adfert. Eleganter, si modò Propheta assentiretur.

At

At quid ab ejus verbis remotius? Ergò Ghislerius putabat, *visam hanc Virgam in manu DEI, meritoq; dictam Vigilantem, quod extensa visa esset, & Vibrans, aut ut vertit Vatablus, imminens.* Neque aliter tandem Cornel. à Lap. qui refert ex Theodoro, Simeoni Stelitæ similiter in visione conspectas duas Virgas, Cælo delapsas; quarum altera in Orientem, altera in occidentem lata, Persarum Scytharumq; impressionem in Imperium Romanum præsignaverint. Mitto ejus generis alia, quæ operosè refutare velle, otio abutentis esset, & operâ. Placet quod concludit Cornelius: *Hæc ergò Virga vigilans ostensa Jeremia, fuit similis ostento, vel portento Cometa, qui specie Virga aut gladii apparens, pestem, bellum, & vastitatem, quasi index iræ DEI portendit hominibus.* Ego tamen non similem, sed omninò Cometam fuisse.

17. Probo 2. per καλασνευὴν: Neque nunc utar conjecturis, ex historiis de Cometarum ortu & eventu petitis: quod ante Regnorum, in præcipiti stantium, ruinam, novorumq; exortum, sæpè visi fuerint Cometa, quibus indè agnomen datum, ut dicti fuerint -- *mutantes regna.* Hanc antiquissimam fuisse Sapientum persuasionem Bileam Magus testari videtur, dùm prædicit: *exorturam Stellam ex Jacob, & Sceptrum ex Israële,* Num. 24. v. 17. Sanè Messiam, Stellam illam Matutinam, præcescit Stella, Lux & Dux Magorum, natum mundo Regem significans, qui omnia hostilium Regum imperia sibi subjecturus esset. Verùm de his postea.

18. Nunc

18. Nunc uno utar hoc argumento; quod hæc Sententia, per se non absurda, imò probabilis, ità comparata sit, ut optimè Verbis Prophetiæ consentiat, & omnes Versiones jungat & conciliat. *Explico igitur & applico.*

Jeremias à D E O *sanctificatus*, excitatus, & ad Sacrum hoc ministerium segregatus, jussus edicere, quid oculis videret suis, in cœlesti regione objectum ad contemplandum? cùm oculos per Cœli plagas circumduxisset, ab Aquilonari parte conspexit exorientem Cometam, primò caudam suam supra Horizontem terris ostendentem, motuq; celerissimo tendentem versus Hierosolymam: Paulò post iterum, jussu D E I, ad hoc prodigium conversus, ipsum crinitum ignibus corpus, jam in cœlum proVectum, supra Horizontem spectavit.

Figura caudæ similis visa fuit Baculo, & quidem amygdalino, sive quod LXX. habent nucæ: nam & Amygdali pomum nux est, & sunt arbores cognati generis. Ideò autem amygdalino, quod ejusmodi baculi insigne essent, quod gestare solebant in Judæâ Principes Tribuum, & Populi Judices. Probatum dedi in Arboreto cap. 31. & colligitur ex Num. 17. v. 6. 8. ubi Cyrillus in Catenâ Zephyrini: Quod è Virgâ Aaronis eruperint amygdala, multò magis congruum fuit, quàm si nucas alias, aliosve fœtus Virga tulisset. Erant enim omnes Virgæ amygdalinae, de more ejus gentis. Ex eâ enim arbore potissimum scipionibus utebantur, qua Symbolum gerit Vigilantia, quod ex h. l. Jeremiæ confirmat.

Simi

Similis mos alibi gentium fuit, ut magistratus gestarent baculos, ut in Arboreto dixi. Sic *Centurionum in manu vitis, quæ etiam in delictis pœnam honorabat*, Plinius l. 14. cap. 1. quod Romanos cives non alio fuste fas esset cædere. -- *Latiaq; superbum Vitis adornabat dextrâ decus*, Silius, 12. vide Alex. Neapol. l. 6. Genial. cap. 18. & ibi Tiraquell. contra *baculo castigati servi*, ut apud Frontin. 1. Strategem. cap. 1. num. 3. &c. Undè apparet, cur Prophetæ dixerit, se videre *baculum amygdali*, gestamen notum Judicum, eumq; & festinum & imminentem, ac q. in pœnam Vigilantem, maturè germinantem, & ad feriendum expergefatum? At *corpus Comete cavum, rotundum, undiq; ignibus circumdatum*, potuitne aptius comparari ulli rei, quàm *olla ferventi æbeneæ*? ostendam pluribus, cum de Cometis ipsis agendum erit.

19. Quid obstare possit, equidem nondùm video. *Nova* videbitur hæc sententia: sed non est; placuit & aliis, displicuit nemini. Veteres de sensu allegorico, aut tropologico solliciti, de historico parum dixerunt, nec nostro contradixerunt. Pro nobis tamen facit, quod ajunt, hæc ideò per visionem exposita fuisse, quod τῶν πραγμάτων ἢ ὄψις τῶν λόγων ἐνεργεστέρα rerum ipsarum intuitus evidentiior sit quàm Verba, magisq; mentem percellat, ut Theodoretus h. l. & Olympiodorus in Catenâ. Vidisse ergò oportuit, non Prophetam solum, nec tantùm per imaginem in animo expressam; sed etiam Populum, quem unice verbis factisq; percellit

celli conveniebat. Vidit ergò hic quoque ostentum: quodnam? si non Cometam? Nam quod fortè dicat aliquis, *distinctas res visas Propheta, & non unam*; Virgam puta, & deindè ollam: & sic à Pictoribus visionem hanc depingi: frustra est; nam & cauda atque Cometæ corpus distinctæ res sunt, neque enim illa hujus vera pars est: & utramque eodem loco ac tempore, distinctè tantùm, intuitus est Propheta; quod cauda prior exorta esset, corpore adhuc latente: Tum nec illa verè baculus aut Virga, neque hoc olla fuit; sed ex impositione Prophetæ propter similitudinem sic dicebantur.

Deniq;--*pictoribus atq; Poëtis*

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

20. Quæ cum ità se habeant, possumus ex hac visione contemplari

SACRAM de Cometis Physiologiam.

Equidem cum Tertulliano *adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem manifestat & facta*, adv. Hermogen. cap. 22. soleoq; non rarò & nostræ irasci ignaviæ aut negligentiae, & detestari quorundam impietatem: nam neque opera DEI ex ipsius ore investigamus, & sunt, qui in iis quæ naturæ sunt, DEUM ipsum testem refutent. Aristoteles fortassis meliùs novit, quæ DEI sunt, quàm DEUS ipse. *Natura Magistra est, anima discipula: quicquid aut illa edocuit, aut ista perdidit.*

B

cit,

cit, à DEO traditum est, Magistro scilicet ipsius
Magistros, Tertull. de Testimon. Animæ. Audiamus
igitur hanc, sed & istum ipsum. Non possunt
discordare: quod altera non poterit edocere, docebit
alter: & quod hic reticebit, illa fortè expromet,
sed non sine isto.

21. De COMETIS, præter ea, quæ oculis
ducibus indagavimus, pauca naturâ monstrante
assequuti sumus. Causarum, propriarum & proximarum,
in profundo Democriti puteo abdita latet veritas.
Neque satis DEUS adhuc scire voluit, ut ignorantia
nostræ conscii, caveremus scrutari supercœlestia,
quibus nec huc quidem usque pervenire concessum
sit. *Furor est, profectò furor, egredi ex hoc mundo,*
& tanquàm interna ejus cuncta planè jam sint nota,
ita scrutari extera, ut piè dixit homo non valdè pius,
Plinius l. 2. cap. 1. Quia tamen hoc quòque opus
suum, non minimum spectaculorum cœlestium,
adspicere & nosse nos voluit DEUS; quod Natura
vel negavit, vel occultavit, quantum satis erat,
& nostrâ scire intererat, Verbo tuo manifestavit.

22. Ac de causis quidem Cometarum nihil statui potest,
nisi de loco ortus prius constiterit. Illud autem tandem
ferè definitum est: alios esse aërios, & sublunares;
alios aethereos, & Lunâ superiores. Nam Aristoteles
quidem omnes in supremâ regione aëris locavit:
Astronomi verò, secuti veteres quosdam ante Aristotelem,
quos ipse refutare nititur, i. Meteorolog. cap. 6. in ipso
aethere, & quidem

dem *Tycho Brachaus* omnes, ut apud *Vossium* de *Idololatr.* cap. 9. Sic *Cardanus* apud *Scaligerum Exercit.* 79. *In cælo esse necessario.* Experientia docuit ut ubique generari posse, ut docet *Vossius* l. cit. Mitto argumenta & testimonia plura; non enim hoc ago. In aëre natos exempla docent, quæ affert *Fromondus* & repetit *Senguerdus*: In Cælo ipso, & quidem aplane, inter *Stellas Fixas* produci posse *Novas stellas*, argumento est, quæ in *Cassiopeâ* ferè biennio visa fuit, Anno 1572. & concedunt *miraculo productam* *Connimbricenses*.

23. Quid *S. Literæ*? Hoc invenio; argumenta, quæ *Aristotelici* proferunt, *cur nulli Cometa, nulla nova stella in Cælo generari possint?* dissolvisse. Primum est, quod *Cælum* sit adeò *eternum*, ut tales *transmutationes* subire nequeat: nihil ergò illic generari per naturam, nihil corrumpi posse; alterum; quod *nova ista sidera* generari nequeant, nisi partes *Cæli* aliæ rarefiant, aliæ condensentur: hoc per naturam non esse possibile; eò quod *Cælum non sit natura fluida*, sed *consistentis & solidæ*; ità *Connimbr.* 1. de *Cælo* cap. 3. pag. 47. m. *Utrumque Scriptura* negat, quæ nobis & *liquidus* describit *Cælos*, & *corruptioni* obnoxios, quod argumentum *Cornel à Lap.* tractat in *Esai.* cap. 34. v. 4. & in *2. Petr.* 3. v. 10. ubi rectè: *Aristoteles sequi potius S. scripturam debet, quam præire*: operosè idem probat *Caramuel* in *Philosophiâ* l. 3. pag. 188. & deinceps, in primis ex consensu omnium ferè, præter *Aristotelem*, *Sapientum*

apfina
udia-
ffunt
e, do-
xpro-
ocu-
tran-
z pro-
bdita
e vo-
scru-
usque
furor,
uncta
dixit
uia ta-
m spe-
os vo-
occu-
rerat,
nil sta-
Illud
ærios,
iores.
regio-
eteres
re ni-
& qui-
dem

piendum. Conclusio est : *Sit igitur ratum & certum, Cœlos esse pervios & corruptibiles : & tandem ; viderit igitur sincerus lector, utri debeat opinioni subscribere ? an illi quam propugnant Ecclesiæ Romanæ (imò universæ) Patres, doctores veteres, & utriusq; ævi Theologi ; quam Philosophi suadent, demonstrant Mathematici, & Sapientiæ floridioris Professores exornant ? an illi, quam Veteres sugillant, juniores notant, & rationes robustissimæ expugnant ? Neque pluribus hîc opus est.*

24. *Jam aërios ex Elementari materiâ constare, vereq; ardere igne elementari, sed subtiliore, plerique concedunt. De iis qui in ipso aethere apparent, lis est fortè nunquam componenda : an oriri possint ex vaporibus elementaribus eousque elevatis ? Quæ sanè Stoicorum & aliorum opinio fuit ; ex cœlo & terrâ omnibus etiam stellis alimenta dividi, ut dixit Seneca : de quâ multa Lipsius Physiolog. Stoicor. l. 2. Dissert. 14. An ex aurâ ipsâ cœlesti condensatâ ? aut ex iis nebulis, quas ipsa corpora cœlestia evaporant ? quod quidam ex diversis Lunæ in deliquiis apparentibus coloribus, ex Solis maculis, ex nubilo quod in orbem Jovis planetam circuitu suo cingit, & aliis confirmant. Quanquam istæ opiniones non adeò videantur pugnare, ut conciliari nequeant. Nota est sententia, omnia elementa ex se invicem generari, per rarefactionem & condensationem : ita ut venustè Ancreon ;*

*Et Terra nigra potat,
Potantq; Ligna terram,*

Potatq;

*Potatq; Pontus auras,
Sol potat ipse Pontum,
Ipsumq; Luna Solem:*

Terra igitur rarefacta alit aquam; hæc ærem; ille ignem; id est æthera; æther corpora stellarum: & vicissim hæc vapores aliquos exhalant, qui condensati descendunt, augentq; ærem, ut hic aquam, & hæc terram. Mirâ & suavi divinæ Providentiæ ratione? -- *alterius sic*

Alter a poscit opem res, et conjurat amicé.

Atque hæc est illa *Catena Homericæ*, aut potius *Prophetica*, indicata *Hosæ* cap. 2. v. 21. 22. Nec adeo absurdi vetustissimi sapientes *Ægyptiorum*, qui teste *Lucano* l. 10.

-- *Oceanopasci Phœbumq; Polumq;* crediderunt. Credidit etiam *Ambrosius*, 2. *Hexæm.* cap. 3. ideoq; *Solem frequenter madidum et torrantem adspici*; hancq; esse causam, quod mare salsum sit; *quia quod purum et leve est sibi, rapiat, quod verò grave atq; terrenum relinquat.* Sanè *Physici*, qui falsedinem mari à *Creatore* inditam statuunt, non negant eam augeri & conservari à *Sole*, quod tenuiores & dulciores vapores educat: itaq; æstate & sub *Zonâ torridâ* falsius esse. Sed hoc agamus.

25. *Noster Cometes* in quam *Classem* referendus sit? nescio an quis divinando queat assequi. Si *Soli Judææ* minacibus flammis imminabat, quod innuit *Propheta*, *elementaris* fuit. Quod si cæteris quoque per *Asiam*, & *Africam* regnis,

B 3 cladem

cladem & ruinam eam, quam à Babylonicâ Monarchiâ debebant expectare, præsignificavit, al-
tius evertus fuerit oportet, ut & illis immineret,
& supra vertices illucesceret. Atque hæc de mate-
riâ satis; quæ & S. Scripturæ, & rectæ rationi bene
conveniunt.

26. *De Causâ Efficiente* Ratio sibi relicta nihil
certi exsculpere potest. Etenim quamvis conce-
datur Cometas ex Vaporibus vel aëriis, vel æthe-
reis coalescere, vel quod idem est, *ex igniculorum*
atomis in unum corpus coire & condensari; tamen
quæ causa sit condensationis, quæq; *formam multi-*
plicem, coloresq; varios effingat, locum designet, mo-
dum tæat, tempus determinet, ratio ex principiis
naturalibus firmiter vix unquam demonstrabit.
Quotquot hoc aggressi, tandem intellexerunt, se
in Labyrinthum inexplicabilem ingressos, undè ve-
stigia relegere nequirent; Itaque fatentur tandem,
multa hîc naturæ arcana adhuc latere, neque pe-
plum ejus à quopiam resectum esse. Quare, ut in
Cœli siderumq; motu, *ad Intelligentias, DEI mi-*
nistras, & DEUM ipsum Primum Motorem,
recurrendum fuit, de quibus D. Jacob. Martini
l. 2. Exerc. Metaph. 3. pag. 580. & seqq.

27. S. Scriptura innumeris locis, et si naturales
causas non negat; DEUM tamen hæc talia, ut
fulgura & fulmina, ventos & turbines, nubes &
pluvias, *ex abditis suis thesauris, ex armamentariis*
suis, producere affirmat; quod peculiari quâdam
ratione tam in efficiendo, quam in gubernando
concur-

conce-
riam
antho-
homi-
suis,
&c.
Graci-
lo Oe-
nunc
2.
maxi-
posse
motu
gene-
lectr-
cet S.
stian
quid
volu-
Sed
quan-
vetat
& qu-
ram
fulge-
bus
ruit
se ve-
in se
non e-

concurrat, his maximè rebus majestatem & gloriam suam manifestans. Quà de causâ etiam Cleantes, inter quatuor causas, quibus dixit in animis hominum informatas esse DEI Notiones, hanc posuit, quæ terreret animos fulminibus, tempestatibus, &c. tum facibus visis coelestibus, & stellis iis, quas Græci Cometas, nostri crinitas vocant, quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum præ-nuncia, ita Cicero 2. de Nat. DEor.

28. Quare, quanquam naturæ vi Cometas, maximè elementares, citra miraculum, existere posse, concedamus; tamen ad eorum figuram, motumq; planè extraordinarium, ipsumq; tempus generationis ac durationis, divinam virtutem effectricem, ac motricem concurrere, exemplis docet S. Scriptura, & experientia confirmat, Christianiq; Philosophi agnoscunt, ac prædicant. Quicquid fuit, quod Jeremias vidit, ab Angelis, Divinâ voluntate, effectum, motumq; fuisse, negari nequit. Sed & stella illa quæ Magis ad Christum præluxit, quam ex naturalibus principiis productam nulla vetat ratio, non potuit istum in modum moveri, & quiescere, nisi Angeli ministerio. Si nescis veram hujus pueri Deitatem; atende stellam in caelo fulgentem, Magos præcedentem, & iter ignorantibus ostendentem. Hæc stella nunquam antè apparuit; quia nunc eam Puer iste creavit, & Magis ad se venientibus præviâ deputavit, ut ait Fulgentius in serm. de Epiphân. ubi, in Cælo, intellige, in aère: non enim illa in Cælo sidereâ viâ tenuit, sed homini-

bus quarentibus ad Christum viam, usque ad locum in quo natus fuerat demonstravit, August. de Temp. serm. 34. Idem affirmandum de Cometâ qui, antè excidium, urbi sanctæ integro anno superimpensisse perhibetur à Josepho, supra urbem ait stetisse sidus gladio simile, totoq; anno perseverasse Cometam: præmiserat autem Judæos sprevisse prodigia, & velut attonitos, qui nec oculos haberent, neque mentes, DE I edicta in super habuisse, l. 7. de B. Jud. cap. 12. Sed de his postea, cum de significatione, ipsoq; fine Cometarum, dicemus.

29. *Species hujus Meteorum, ex situ, duæ sunt: alii enim Cometæ ut dictum aërii, alii ætherei sunt: ex figurâ, triplices vulgò, criniti, barbati, caudati: si motum spectes, plerique moventur quidem; sed & aliquandò sunt immobiles. Sed & coloribus differunt, candidi, rubri, cruenti, flammei, &c. Noster Prophetæ videtur fuisse aërius: Caudatus, sed corpore ipso non exactè rotundo, in modum abeni, aut ollæ: nam nec sidere omnia orbis sunt; nec falsus Cleanthes, qui quædam κωκείδην esse statuit, apud Stobæum in Eclog. Cavum quoque instar vasis dicti, & pellucidum fuisse, qui radios Solis accipere & in caudam transmittere posset, nihil prohibet. Nam cauda non est pars corporis, sed fulgoris appendix. Cometarum corpus corrotundatur, splendor autem longior, quam ceterorum siderum apparet, Seneca 7. Q. Nat. cap. 26. Qui tamen non tam ab ipso, quam à Sole, radios suos q. per vitrum trajiciente: quod hoc argumento constare ajunt, quod*

quod *semper caudam projicere soleat à Sole averfam;*
 post occasum Solis, versum orientem, ante ortum
 in occidentem: uti quem nuper conspeximus.
 Habere tamen *proprium ignem & lumen* dispu-
 tant, contra Scaligeri Exerc. 79. neque toto cor-
 pore transmittere radios Solis, sed solo q. capite,
 aut cerebro: unde tanta *candae varietas*, ut modò
 clarior, modò obscurior, modò recta, modò obli-
 qua, nunc simplex, nunc bifida aut trifida appa-
 reat.

30. *De Figurâ* testatur Propheta, *flammeus*
 sibi visum *instar ollæ exsufflate*: quo ipso indicat
flammas non visam sibi sinceram, nec tenuem, sed
multum circa se volventem fumidi ardoris, ut de si-
 mili Seneca l. cit. cap. 17. *Caudam* verò habuisse
baculo similem, albo, decorticato, rectam & simpli-
 cem; quales sunt, quos Græci vocârunt *Acontias*,
qui jaculi modo veysimè vibrantur, Plinius l. 2.
 cap. 25. *Motus Terminus à quo*, plaga Aquilonaris,
 respectu Hierosolymæ; quæ quodammodò ab
 ortu habebat mare mortuum Orientale dictum;
 ab occidente, Mediterraneum; à meridie deser-
 tum Pharan & Ægyptum; à Septentrione Chal-
 dæam & Babylonem, juxta descriptionem Sacro-
 rum Auctorum: *Terminus ad quem*, Judæa, ejusq;
 caput & Regina urbs Sancta dicta: ferebatur ergò
 à parte Boreali, quæ inter Ortum & Septentrio-
 nem est, Nordosten; in partem Meridionalem,
 quâ ad occidentem vergit, Sudwesten: Et quia
 caudam huc porrigebat, à Sole sequenti averfam,

B s

antè

antè lucem summo manè conspectum fuisse consequens est, ex dictis. Videtur autem Propheta non tantum spectavisse *motum communem*, quo mundus ab ortu in occasum volutus cœlestia secum rapit; sed etiam *proprium celerrimum*, à Septentrione in Meridiem. Nam prior æqualis est, & statâ celeritate absolvitur; hoc verò prodigium festinâsse dicitur. Ratio hujus festinationis nulla certa ex naturâ adferri potest. Nam quod *ignium modò alimentum suum sequutus* hic Cometa, quæ quorundam opinatio est, *fortè dicatur*; nihil est: stare potius debuerat, ubi natus erat, *in Septentrione, ubi plurimum est aëris pigri, crebrioraq; meteora ignea*: vide Senecam l. cit. cap. 21. & quod *de impulsu sideris alicujus dominantis* dicitur, quo Cometae moveantur, gratis dicitur. Rectè ergò Vossius de Idololat. 3. cap. cit. 9. *Hujus motus quia rationem ignoramus, [nam valdè infirma sunt causæ, quas adferunt viri eruditi,] confugiamus sanè, dum certiora se offerant, ad extremam anchoram, ut Angelico ductu ferri credamus.*

31. De Tempore generationis dictum est suprâ num. 8. Ortum visumq; anno Regis Josiæ XIII. & quidem, ut modò, *ante Solis ortum* summo diluculo: Si mensem, diem & horam nossemus, possemus quoque scire, sub quo signo Zodiaci. De *Durationis* morâ, & ubi extinctus fuerit ac quando? nihil reperimus. Si vera esset observatio Astrologica, quam Cometa belli Germanici, Anno 1618. prænuncius, suggestit, durare & lucere
has

has
Die
vasta
Jere
rent
gis
Sen
expl
diu
mat
Ele
riat
Dif
mus
mù
cen
gra
ra
nere
con
lem
est,
Qu
cen
cau
cere
ipse
con
aton
qui

has faces tot diebus, quot annis secuturus eventus;
 Diebus fortè LXX. visus fuisset; tot enim annis
 vasta jacuit Judæa post excidium Babylonicum,
 Jerem. 25. v. 10. 11. Aliàs *brevisimum*, quo cerne-
 rentur, *spatium septem dierum annotatum est*; *lon-*
gissimum (Centum &) *obtoginta*, Plinius 2. cap. 25.
 Seneca 7. Q. Nat. cap. 21. Verùm nec hoc certò
 exploratum est, & causa latet. Nam quod ajunt,
diutius durare qui copiosiore pinguioremq; habent
materiam, ignemq; minus avidè depascentem; de
 Elementaribus fortè an credi posset; ubi & mate-
 rialis, & ignis pascens: *an & in aurâ illâ ethereâ?*
 Difficile creditu. Nisi Cometas cœlestes pute-
 mus similes, cùm nascuntur, stupæ; quæ cùm pri-
 mùm inflammatur gravitate suâ deorsum, mox in-
 censa ignis levitate sursùm fertur, cumq; confla-
 gravit, solos remittit cineres. Qui *Solem & side-*
ra ignea dixerunt, *nec sine pastu aliquo posse perma-*
nere; non eo tamen igne constare senserunt, *qui*
confector est & consumptor omnium: Sed illi *simi-*
lem qui corporibus animantium continetur, vitalisq;
 est, ut Stoici apud Ciceronem 2. de Nat. DEor.
 Quod si Cometarum apparens ignis materiam in-
 cendio absumeret, in cœlo, ut fortè in aëre, hæc q;
 causa esset motus irregularis, *quâ vena pabuli du-*
ceret, ut apud Senecam cap. 21. l. cit. quod tamen
 ipse improbat; quomodò non totum Cœlum
 consumeretur? illud enim totum ignis cœlestis
atomis constare, aut plenum esse, ratio suadet;
 quibus ut astra sic Cometa quoque astrici pascan-
 tur.

tur. Quare ad DEI iterum Providentiam refu-
giendum est; quæ & immortales & mortales stel-
las creat, & has, quousque visum est, conservat.

32. Atque hæc de *Naturâ Cometarum*, & ejus
quem vidit Jeremias: quæ quamvis manifestas
olim causas habere possint; nam ut *Eleusis servat*,
quod ostendat revisentibus; ita *Rerum Natura Sa-*
cra sua non simul tradit: ex quibus aliud hæc ætas,
aliud quæ post nos subibit, adspiciet; Seneca cap. 31.
Tamen tam mirum rarumq; *Mundi spectaculum*,
ut idem Cometas appellat, sine peculiari curâ &
nutu Numinis, nec existere, nec moveri, nec du-
rare, nec deficere, certissimum esse debet. Restat
ut agamus

De SECUNDO: Quæ significatio fuerit visionis?

Hic differendum erit, 1. *An Cometa aliquid signi-*
ficient? 2. *Quid illud, Bonumne an Malum?* 3. *An*
id & unde cognosci possit?

33. De I. Quæstione; *An Cometa sint signa*
rerum futurarum? ita loquuntur quidam, ut in to-
tum videantur *negare*: Alii ita, ut in *affirmando* ex-
cedant regulam veritatis, misceantq; urnas super-
stitutiones: Medii *distinguunt* inter Cometas, &
signa. De singulis aliqua audire Testimonia ope-
ræ est pretium.

Ac Epicurus quidem, secutus in Physicis, ut
habet Cicero, Democritum, totam hanc de *Meteo-*
ris

ris de
anim
nostr
à dā
mus.
van
natu
thoc
subje

Sic S
presu
ra N
ista c
re, &

34
Gasse
quam
Argu
sen a
omni
confis
impe
mate
densa
quicq
ment
Hinc
Esqu

ris doctrinam docet unice spectare ad ἀταραξίαν, ut animus vacet perturbationibus; neq; enim vitam nostram opus habere aut stultitiā aut vanā gloriā, ἀλλὰ τὴν ἀπορύβωτον ἡμᾶς ζῆν, sed ut tranquille vivamus. Itaq; Μαννὸν insanum ait esse, quod Astrologi vani causas talium frustra reddant, nec Divinam naturam isto absolvant ministerio, in Epist. ad Pythoclem. Itaq; docuit mortales, religionem pedibus subjctam obterere, ut laudat Lucretius l. 1.

Quae caput à caeli regionibus ostendebat,
Horribili super adpectu mortalibus instans,
Sic Seneca 6. Q. Nat. cap. 3. illud, inquit, proderit, praesumere animo nihil horum DEOS facere: nec irā Numinum aut Caelum concuti, aut terram: suas ista causas habent, &c. Hoc erat solatium quæ-
re, & animis demere religiones, sive vanos metus.

34. Hanc Epicuri causam egit nuper Petrus Gassendus: Hoc, inquit, loco, quid potius usurpem, quam illud Epicureum, μύθος ἀπίστω, Fabula absit! Argumenta profert 1. quod seu praesuerint Cometae, seu abfuerint, fames, bella, ceteraq; calamitates, omnia pari modo eveniant: 2. Quia Cometa non consistant, aut uni sive domui, sive urbi, sive regioni impendant: 3. Quia superiora illa corpora non optimates potius quam plebejos respiciant: 4. Quia mista densantur Principum & subditorum funera. 5. Quia quicquid calamitatem affert uni, praestat alii emolumentum; unius clades, alterius est victoria, &c. Hinc concludit, Cometas non praedicere talia: Esquid ergo diros, lethales, timendos dicimus Come-

tas potius, quam benignos, salutare, amabiles? Ter-
rifici sunt sed dementiâ nostrâ, quæ Panicos sibi terro-
res objicit &c. Eadem ferè dixit Tycho de Brahe, de
Novâ stellâ aut Cometâ Anni 1577. addidit argu-
mentum ab experienciâ, quod multos Cometas nihil
ejusmodi subsequutum sit: Vide D. Takii Cœli Ano-
malon, Gieslæ editum Anno 1653. p. 31. & seqq. Sed
& Scaliger Exerc. 79. Sect. 2. Quod queritur; Come-
ta signare sint, an Causa? neutrum censeo. Etenim
existimare à Cometâ Regem interfici, ridicula demen-
tia est, &c. Intelliget Lector, è quâ pharetrâ tela sua
depromserit, qui nuper questus est, vulgò nos in
Cometas, tanquam malorum omnium causas invehi,
eosq; q. funebres faces, & infausta sidera horrere: qui
tamen non negat tandem aliquos eorum esse effectus
ad terram pertinentes, de quo plura quæstione se-
quenti. Qui sic sentiunt, videntur peccare in defectu.

35. Alii in excessu: Sic Poëtæ nunquam Cœlo
spectatum impunè Cometam: - non illum navita tutò,
ut canit Claudian. I. Raptus.

Non impunè vident populi, sed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hostes
Et Manilius, cum de causis naturalibus & specie-
bus eleganter egisset, tandem ad super naturalem
deflexit:

Seu DEUS, instantis fati miseratus, in Orbem
Signa, per affectus Cœliq; incendia, mittit:
Nunquam futilibus excanduit ignibus ather!

Quæ tamen nescio an quis, nili planè Epicureus,
dampare possit? Cœtera deinceps, Neque Plinius
malè

malè videtur dixisse : *Terrificum magnâ ex parte si-*
cus esse : at quæ sequuntur, de significatione, & un-
 dè ejus ratio sumenda, superstitiosa sunt, suo mox
 loco examinanda. Apud Silium l. 8. - *crine corusco*

Regnorum everfor rubuit lethale Cometes.

Sic ait - *tantâ miseris, jamq; impendente ruinâ, non*
cessârunt superi vicinas prodere clades. Sic Lucanus
 l. 1. - *addita fati*

Pejoris manifesta fides, superiq; minaces

Prodigiis terras implerunt, aethera, pontum.

Inter quæ refert - *faces - crinemq; timendi*

Sideris, & terris mutantem regna Cometam.

Quo pertinet Senarius ille :

ὁ δὲ εἰς κομήτης, ὅς τις ἢ κακὸν φέρει.

Non est Cometa, qui malum non afferat.

In Poëtis tamen laudo, quod totum hoc ad *DEUM*
 referunt. Idq; ex verâ Philosophiâ petitum esse, &
 jam ostendi, & mox repetendum erit. Quod *Astro-*
logi divinant, vanis nititur hypothefibus, de qui-
 bus etiam deinceps.

36. Qui *mediam viam* tenent, i. advertunt,
Signa alia esse primò *Necessaria*, quæ *τεκμήρια* di-
 cuntur, & cum re signatâ habent necessariam con-
 nexionem, ut causa cum effecto, nisi quid impe-
 diat, effectus cum causâ, proprium cum suo sub-
 jecto; itâ ignis significat incendium, fumus ignem,
 risus hominem; alia *contingentia*, quæ *εἰκότα* vo-
 cantur, ut cum dico; pallet, ergò aut studet, aut
 amat: Deindè alia esse *Naturalia*, quæ naturalem
 habent respectum ad id quod signant, ut quæ mo-
 dè

dō attuli: alia *arbitraria*, quæ ad signandum ordi-
nantur sive à *DEO*, ut Sacramenta, sive *ab homini-*
bus, ut hederæ vini vendibilis; sive *aliquam* habent
naturalem relationem pro fundamento, ut iris ad
DEI fœdus de non immittendo diluvio; nam fere-
nitatis index est: sive *nullam*, ut pileus libertatis,
annulus nobilitatis, sceptrum regni. 2. Notant a-
liter pronunciandum esse de Cometis *sublunari-*
bus, aliter de *sidereis*.

37. His præmissis rectè *affirmant*; Omnes Co-
metas aliquo modo occultorum aut manifesto-
rum, præsentium vel futurorum esse signa. Quod
nescio, an quisquam negare possit? Nam sive hos
ignes ad manifestas causas referemus, sive ad oc-
cultas, & ex parte tantum cognitatas, sive ad *DE-*
um; semper *effectus signabit causam*.

Sive igitur ratio præbentis semina terræ,
Involvens ignes, potuit generare Cometæ;
quæ Aristotelis sententia fuit, fieri per ἀναθυμία-
σιν:

Sive illas natura faces sub juncta creavit
Sidera, per tenuis Cœlo lucentia flammæ;
quæ Anaxagoræ & Ægyptiorum, Cometæ esse
Σύναψιν Planetarum, aut σύνοδον duarum vel plu-
rium stellarum: nisi fortè in conjunctione Plane-
tarum creari censuit ex atomis cœlestibus, ut su-
prà dixerat: Esse *cunctis permixtos partibus ignes*:

Seu trahit ad semet rapido Titanus æstru
Involviturq; suo flammantes igne Cometæ,
Ac modò dimittit-deniq; -Sen DEUS mittit:
quo.

Quorum illud Pythagoræis placuit, & Senecæ probatum fuit, esse æterna sidera, sed modò sub Sole abscondi, modò Heliacè q. oriri; hoc verò communis opinio tenuit: semper aliquid significant Cometæ docentq; homines: ut; esse DEUM; quod hinc Cleanthes communi notione cognitum dixit:

*Primus in orbe DEos fecit timor, ardua cælo
Fulgmina cum caderent, &c.*

Item, posse aliquid in cælo nasci, & interire; non ergò æternum esse: metuendam esse mundi ἐκπύρωσις - affore tempus

*Quo mare, quo tellus, quoq; arduus ardeat æther,
& sic deinceps. Cùm ergò extra dubium esse appareat, Cometæ esse Signa;*

38. *Primò, quia extraordinaria Mundi Spectacula sunt, à DEO producta, cujus sapientia nihil facit frustra: Deinde quia omnia cœlestia corpora Signa sunt & ab ipsomet DEO dicuntur: Adhuc quia tam insolita opera; tam stupendæ magnitudinis, quorum substantiam, & accidentia, figuram imprimis tam variam, motumq; planè singularem, mirari liceat, non rimari; absurdum est cogitare, nullâ causâ efficiente, nullo fine, nullo effectu existere: Præterea quia multorum seculorum experientiâ, talia non frustra extitisse, confirmatur: Insuper, quia attentio & formido, quæ spectantur, à rectâ ratione, à naturali quâdam πρόληψις, ab ipso DEO, animis omnium hominum indita: Denique quia conspirant omnes ab omni retrò ævo*

©

Sapient-

Sapientes, etiam qui contradicere videntur: Sanè nuperus auctor, citatus suprà num. 34. sub fin. Sic tandem quæstionem concludit: *Equidem existimo, has stellas non sine causâ lucere, cum DEUS & Natura nihil faciant frustra: existimo deinde, earum aliquos effectus ad terram pertingere, ob consensionem & sympathiam, quam habent mundi partes inter se; quemadmodum laborante pede, aut alio membro tori Microcosmo est malè. Ignoro tamen, quales in specie effectus causent, malosne an bonos? Sed & Tycho Braheus hoc tantum negat; ea que statim post Cometarum apparitionem in hoc inferiori mundo subsequuntur, ideò à Cometis SEMPER præsignificari, aut effici: hoc qui statuunt, ait, sæpenumerò causam pro non causâ assumere: Videtur ergò omninò largiri, aliquandò præsignificare, & causas adeò quoq; esse. Sic Gassendus; fieri hoc posse, ut divinitus ad aliquid nobis significandum usurpantur, concedit; hoc tantum negare vult, ut apparet, sciri à nobis posse quid significant: quæ alia Quæstio est, in locum Tertium à nobis seposita, suprà num. 32. extr.*

39. Par est, nos progredi ad Quæstionem Secundam; ac inquirere II. *Quid significant Cometa?* nam sive boni quid sive mali sit, necesse est signa esse eventuum quorūdam. Hic ut pede inoffenso procedam, præmittam necesse est, **Exem-**

pla Cometarum, Testimonia Sapientum.
 Si Fromondus ad manum esset, aut Kekermanni Disputatio Extraordin. de Cometis, aut alii, qui
 fortè

fortè talia ex ipsis fontibus auctorum, maximè Ve-
 terum, depromserunt, poteram laboris facere
 compendium. Dabo quæ collegi ipse, quantum sa-
 tis erit: addent alii aliundè quantum volent.

EXEMPLA COME- TARUM.

40. Rectè Seneca dixit, hoc ostentum accurate
 tius contemplaturo, necessarium esse, *veteres ortus
 Cometarum habere collectos*. Sed mox addit: *Nova
 hac Cælestium observatio est, & nuper in Græciam
 inuenta*: Eudoxus, qui Platoni ætate suppar, circa
 Olympiadem 103. primus ab *Egypto hos siderum
 motus in Græciam transtulit*, de Cometis nihil dicit:
 Sed & Conon postea, diligens & ipse inquisitor, nul-
 lam eorum mentionem fecit. Undè apparet, ut ait Se-
 neca, *ne apud Ægyptios quidem, quibus major Cæle-
 stium cura fuit, hanc partem fuisse elaboratam*, l. 7. Q. Nat.
 cap. 3.

41. Antiquissimus observatus creditur in Græ-
 ciâ *Anaxagora*, quem Alstedius primum recenset,
 in Chronolog. Cometar: Anno 2. Olymp. 78.
 (antè Christum 465.) quo flagrante, *in Thraciâ
 ad Ægos flumen, lapis, magnitudine vehis, ex aère
 decidit, ὄπρὸ πνεύματος ἀπὸ τοῦ ἀέρος à flatu vehementi suf-
 flatus*, ut ait Aristoteles 1. Meteor. cap. 7. quan-
 quàm è sole lapsus credidit Anaxagoras, Plinius 2.
 cap. 58. *Charimander, qui de Cometis scripsit, grande
 insolitumq; lumen fuisse, ait, magnitudine amplè tra-
 bis, & id per multos dies fulsisse*, Seneca. l. cit. cap. 5.

Siccam tum hyemem fuisse, magnosq; fluctus, ventis Boreâ & Austro, inter se confligentibus, Aristot. l. cit. Eodem anno *Hieronem* Syracusis, & biennio post *Xerxen*, Græciæ terrorem, obiisse, observat Petavius ex Diodoro & Justino. His ergo *funebri* fuisse videatur; *latus* verò Syracusanis, qui *Thrasibulo* Hieronis fratre pulso recuperatâq; libertate, deinceps annos 60. in summâ tranquillitate vixerunt: Sed & Judæis salutaris, sub benigno Rege Artaxerxe Longimano, Esdræ cap. 7. & Nehem. 2. &c. *Damachus* de Religione durasse scribit diebus LXXV. *agitatumq;* fuisse variis & q. fractis motibus, ex quâ jactatione varia, hinc inde avulsa à se invicem, fragmenta, *stellarum saltantium speciem* retulerint: dubitat de ejus fide Plutarchus in *Lysandro*: hoc tamen ostento *cladem Atheniensium*, urbisq; expugnationem & murorum demolitionem, præsignificata innuit. Accidit annis, post Cometam, præter propter, 64. cum jam eo exoriente, bellorum incendia gliscerent.

42. Post hunc famosus est, qui anteo pugnam *Leuëtricam* biennio fulgit. Fuisse effigiem ignis longi, *Callisthenes* tradit, in quo multa digna notatu, maxime illud, quod simul ac fulsit, statim, super *Burin* & *Helicen*, urbes Achajæ in sinu Corinthio, mare fuit; nam terræ motu & fluctibus absorptæ sunt: quarum in alto vestigia apparent, Plin. 2. cap. 92. Seneca l. c. cap. 5. Strabo l. 8. In *Leuëtricâ* pugna cecidit *Cleombrotus* Spartanorum R. septennio post in *Mantineensi*, Dux Thebanorum, victor
Epami-

Epaminondas. Sequuta varia bella, Græciæ exitio-
 fa: *Sociale* imprimis & *Sacrum*, donec in Macedo-
 num dominationem incidit. Meminit hujus Come-
 tæ Pausanias, in Achaicis, sive l. 7. *Ignes longo flam-*
marum tractu per Cælum discurrere: Siderum etiam
non antè conspectæ formæ magnum hominibus pavo-
rem incussere. Talibus enim miraculis, & prodigiis,
terræ motum divinitus indicatum, sicq; DEUM vel-
le homines premonere. Ephorus apud Senecam re-
 fert l. c. cap. 16. hunc *Cometam in duas stellas dis-*
cessisse: negat hic, auctoritatem detrahit: Sæpè, in-
quit, decipitur, sæpè decipit. Visus hic Cometes an-
 te Christum Anno 371.

43. *Post mortem Demetrii Syria Regis, cujus De-*
metrius & Antiochus liberi fuere, (qui obiit ferè
Anno M. 3798.) paullo ante Achaicum Bellum,
quod cœpit A. M. 3804., Cometes effulsit non minor
Sole; primo igneus ac rubicundus orbis fuit, clarumq;
Lumen emittens, quanto vinceret noctem: Deinde
pauulatim magnitudo ejus districta est, & evanuit
claritas, &c. Seneca l. cit. cap. 15. *Exitialis hic fuit*
fortè Carthagini & Corintho: quæ uno eodemq;
anno citato 3804. everlæ à Romanis: quibus his
victoriis viam muniebat Fatum & Monarchiam,
novumq; Solem parturiebat mundo. Addit eodem
loco Seneca: Attalo regnante, initio Cometes appa-
rui modicus; deinde sustulit se diffuditq;, & usq; in
æquinoctialem circulum venit: ita ut illam plagam
Cœli, cui Lactea nomen est, in immensum extentus
æquaret. Regnârunt autem Pergami tres Attalidæ
 C 3 Reges,

Reges, ex parvis initiis in maximas opes provecti; quorum primus annis XLIII. alter XLIX. præfuerunt; ultimus Philometor cognomine Populum Romanum hæredem scripsit, Strabo l. 13.

44. E Romanâ historiâ *Julius Obsequens*, ejusq; restitutor *Lycosthenes*, de *Prodigiis*, plures Cometas, & cælo ardentes faces commemorant. A. Urbis Cond. 607. antè Christum circiter 145. *Stella arsit per dies XXXII mox Carthago diruta*. Hic aut idem fuit, de quo modò num. 43. aut biennio præcessit.

Sic A. U. C. 710. antè Christum 42. postquam (*Octavius Cæsar Romam intrasset*) *Ludis Veneris Genitricis*, horâ undecimâ, *stella crinita*, sub *Septentrionis sidere exorta*, convertit omnium oculos. Mox: *arbores radicitus, & pleraq; tecta eversa*, *Fax cælo ad occidentem visa ferri*. *Stella per dies septem insignis arsit*. *Soles tres fulserunt, tandem sole in unum circumlum redactò, multis mensibus languida Lux fuit*. Inter Cæsarem & Antonium bella civilia exorta. *Triumvirorum potestas, & in Octavium tandem delata Monarchia*, aliaq; horum temporum nota sunt, &c. de quibus illa:

*Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno,
Fulgura, nec diri toties arsere Cometa:
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterùm videre Philippi,
Virgilio 1. Georg. Et Manilio 1. extr. de Cometis:
Civiles etiàm motus, cognataq; bella
Significant: nec plura aliàs incendia mundus
Sustinuit, quàm quùm Ducibus jurata cruentis
Arma Philippæos implerunt agmine campos.*

45. Pertinet huc *Julium* illud *sidus*, omnibus
ejus ætatis Poëtis celebratum : de quo Virgilius,
salutiferum sed adulatoriè prædicans :

Ecce Dionai procedit Caesaris astrum ;

Astrum, quo segetes gauderent frugibus, &c.

Ecl. 9. Suetonius de Julio Cæs. cap. 88. In *DEorum*
numerum relatus est, &c. *Siquidem Ludis, quos ei pri-*
mò consecratos hæres Augustus edebat, stella crinita
per septem continuos dies fulsit, exoriens circa horam
undecimam : creditumq; est animam esse Caesaris Cæ-
lo recepti, & hac de causâ simulacro ejus in vertice
additur stella. Hæc est de quâ modò dicebam ex
Obsequente. Itaque *Cometes in uno totius orbis loco*
colitur Romæ in Templo ; admodum faustus Divo
Augusto judicatus ab ipso : interiore gaudio, sibi illum
natum, seq; in eo nasci interpretatus est : & si veruna
fatener, salutare id terris fuit, ita Plinius l. 2. cap.
25. ubi plura. Rectè uterque, & sapientius quàm
vulgus, quod animam Julii in astrum hoc transiisse
opinabatur. Natum fuit Augusto, salutare Terris ;
tùm propter conditum Imperium Rom., cùm
propter mundo mox natum Salvatorem. Sed &
non paucis mortiferum, Cassio, Bruto, Antonio,
Lepido, Pompejo, quiquiq; eorum partes secuti.

46. Obiter hîc nota, novam *Cometarum signi-*
ficationem, ἀποθεώσεως : Magnorum Virorum à
morte animas in astra recipi, & in Cometas con-
verti : scil. ut paullò post evanescerent cum ipsis, &
bis morerentur. Ità superstitione quos colit violat.
Hæc enim stultitia animis detrahit Heroum, quam

maximè optabant, immortalitatem. Bodinum in Theatro Naturæ l. 2. tam stultè sapuisse, ut putaret; *Illustrium virorum Mentem esse Cometas; tandemq; obituras, ut omnia orta, extremos hoc modo triumphos agere, ac propterea sequi famem, pestem, bella, &c.* miratur Vossius l. cit. 3. cap. 9. Et sunt in ejus Phisicis multa ejus generis, non tam miranda, quam Christianis abominanda. Hoc tamen non ipse putat, sed *Theorum* opinantem inducit; Cui ipse *Mystagogus* satis frigidè regerit: *de rebus tam arduis nil temerè esse affirmandum*, pag. 222. Vulgata aliàs opinio fuit, *mentes hominum esse ex ignibus illis cælestibus immortalibus*, aut ut Epicharmus Ennii, *ignem de Sole sumptum*, apud Varron. de Ling. Lat. l. 4. Ergò solutas vinculis corporeis redire undè venerant, & in stellas converti: undè illud apud Aristophanem de Pace; *Verumne sit, quod vulgò perhibent, quod mortui evadant astra?* At magnis viris præcipuum in Cælo locum, & magna sidera assignavit adulatio, ut apud Poëtas, Virgil. i. Georg. Valer. Flacc. & Lucan, aliosq;. Sed redeamus.

47. Sub Augusto quòque apparuit *stella Nati Salvatoris*: ejus meminisse Chalcidius in Timæum Platonis, *quod non morbos mortemq;, sed descensum DEI ad homines, &c. nunciavit, &c. fertur.* Sed de eâ Theologi copiosè: vide Spanhemi Dub. Evang. Stellam elementarem, sed motus supernaturalis compotem, DEI que ad Magos extraordinarium nuncium, fuisse, scire hîc sufficit. De eâ accipi posset, quod habet Plinius l. cit. *Fit & candidus Cometes,*

tes, argenteo crine, ita refulgens, ut vix contueri liceat, specieq; humanâ DEI effigiem in se ostendens. Et sanè eadem terè de hac nostrâ veterum quidam; apparuisse in illâ effigiem pueri crucem gestantis, qui Magos & docuerit & in Judæam duxerit; sic Auctor Imperf. in Matth. Fabulæ auctores Sethiani antiquissimi hæretici: nec dubium ferè, tale aliquid Plinium, ut erat librorum helluo, alicubi legisse. Quo tempore orti fuerint Sethiani non liquet: Nicolaitarum progeniem fuisse veteres testantur, & potuit hoc commentum ipsis fuisse antiquius.

48. Sub exitum Claudii, veneno boletis infuso, hic *DEorum cibus* indè dictus, perempti, & dominante Nerone *assiduum propè ac sævum* hoc terrificum sidus: *Inter præsagia mortis Claudii referebatur*, Sueton. & sub Nerone vulgi opinio erat; *mutationem Regis portendere*: igitur *quisnam*, depulso invisissimo Tyranno, *deligeretur*, nec tacitè, *inquirebant*, Tacit. XIV. qui lib. seq. ait; *hoc sidus semper sanguine illustri Neroni expiatum*. Quomodò? Narrat Suetonius: *Stella crinita, que summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat: anxius eâ re, ut ex Babilo Astrologo didicit; solere Reges talia ostenta cœde aliquâ illustri expiare, atq; a semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuiq; exitium destinavit*. Ità diri & cruenti hi Cometæ multis, ipsisq; tandem Neroni; sed & Reip. Romanæ, meliore tamen exitu: & Judææ exitiosus inter hos, ille qui

quasi immobilis Metropoli superstabat anno integro, de quo dixi ex Josepho: nec minus Laodiceæ, Hierapoli, Colossis Asiæ urbibus, quæ post semestrem Cometam terræ motu conciderunt. Mirandum igitur quomodo affirmarit Seneca; Cometam sub Nerone Cæsare apparuisse, qui Cometis infamiam detraxerit, l. cit. cap. 17. nisi quod & ille adulari didicisset. Idem cap. 28. *Fecit Cometes, qui Paterculo & Vepisco Coss. apparuit, quæ ab Aristotele & Theophrasto sunt prædicta. Fuerunt enim maxima & continua tempestates ubique. At in Achajâ Macedoniâq; urbes terrarum motibus sunt proruta.*

49. Multos omitto sciens; addam alios per fatu-
ram; nam neque me, nec Lectorem detinere pos-
sum; magis tamen tantum memorabiles. Ammia-
nus Marcellin. l. 25. antè Joviani obitum, *per con-
tinuos dies, inquit, velut offenso Numine, multa vise-
bantur & dira: quorum eventus fore lætificos, gna-
ri rerum prodigialium præcinebant.* Inter alia, *visa
sunt interdum (quod & aliàs contigit) sidera Cometa-
rum.* Aristoteles tradit & simul plures cerni: nemi-
ni compertum alteri, quod equidem sciam, ait Pli-
nius 2. cap. 25. Sic tamen A. D. 729. mense Janua-
rio *duo circa solem visi*, unus Orientem præcedens,
alter vespere Occidentem secutus: caudam in A-
quilonem porrigebant. Duratio fuit duarum septi-
manarum. Pestis secuta in Oriente, quæ Constantinopoli 300000. homines absumpsisse dicitur: In
Occidente Saraceni Gallias vastabant, Luitpran-
dus Rex Romam obsidebat &c. Cent. Magd. VIII.
cap. 13. & alii. 50. Re-

90. Rejicit Seneca auctoritatem Ephori, quod scripserit; Cometam in duas Stellas discesisse: *Quis enim, inquit, posset observare illud momentum, quo Cometes solutus, & in duas partes redactus est?* l. 7. Q. Nat. cap. 16. At enim Dion. l. 54. antè mortem Agrippæ ea refert signa evenisse, *quæ maximas calamitates præcurrere solent; Nam ut cætera non repetam; Cometa, inquit, quum multos dies urbi imminens conspectus esset, in faces abiit.* Negant certo loco sic impendère posse, ut cui minetur indicet: at quo tempore, sub Arcadio Imp., Gainas Gothorum Dux Constantinopolin cogitabat evertere, Cometa apparuit, *has insidias portendens, qui super Civitatem maximus apparebat, ad ipsam usque terram ferè pertinens, cui similem nunquam visum affirmabant,* Sozomenus, lib. 8. cap. 4. & Socrates lib. 6. cap. 6.

51. Quàm minus ille, *Britannico de quo Sigebertus A. D. 457. Sexto Imp. Martiani: cujus radio gladius igneus Draconi similis adharebat: ex ore hujus duo procedebant radii, alter versùs Galliam, alter versùs Hiberniam: & hic in septem minores radios terminabatur.* Circa ea tempora Romani in Britannia à Scotis pressi, cum frustra opem è Gallia flagitassent, ad externa Anglo-Saxonum auxilia confugerunt: Hi occupatâ Insulâ septem in eâ regna condiderunt, Beda &c. Sed non minus mirus quem Nicetas Choniates, sub Alexio Comneno, depingit: *Diebus, inquit, illis Cometa in cælo conspectus est, qui gravissimas clades, quæ secuta sunt, portendit, ipsumq; adeò Andronicum, auctorem scilicet, expressit.*

fit. Nam serpentem sinuosum representans, nunc por-
rigebatur, nunc in spiras se colligebat, nunc cum hor-
rore spectantium, quasi inferiores devoraturus, hu-
mani sanguinis avidus, vastum dictum aperiebat.
Sed cum non ultra diei illius reliquum, & secutam
noctem durasset, evanuit.

52. Anno Heralii XXIII. Terra motus factus
est in Palæstinâ, & apparuit signum, quod appella-
tur *Cometa trabalis*, contra meri-
diem, Arabum potentatum prænuncians: erat verò
Ξιφοειδης, ensiformis, & duravit diebus Triginta.
Proximo anno mortuus Abubeker, Muhamme-
dis successor, in suum locum abiit, eiq; Omar suc-
cessit, Theophanes & Paul. Diacon.

Anno Justiniani V. *Lampadius Cometes*, quod
radios sursùm facis instar erigeret dictus, visus Con-
stantinopoli, seditionem, cædesq; , nam ad XL.
millia è populo cæsi, urbisq; incendium significa-
vit, Zonaras Annal. Tom. 3. Qui & non multò an-
tè sub Justino *Pogoniam*, sive *Barbatum*, radiis de-
orsùm vergentibus conspectam refert. Tùm Ana-
zarba urbs terra motu collapsa; *Pompejopolis*, me-
diâ parte, hiatu absorpta; *Edessa*, Scirto fluvio, qui
eam perfluit, exundante submersa. Verùm à *λεις*
σποεις, & satur jam sum historiarum. Alia exempla
fortè deinceps miscebo. Ex hac inductione col-
ligunt plerique; Cometas potissimùm iræ & vin-
dictæ esse nuncios, rarò aliquos salutare, nec sine
mixturâ malorum magnorum ullum. Idq; confir-
mant afferendo

Sapientum TESTIMONIA.

53. Ac r. quidem hanc vulgò communem, & ab omnibus ferè Gentibus, non barbaris, receptam fuisse opinionem, sæpiùs audivimus jam. Quæ Historicorum sententia fuerit dictum. Mortem in primis regnantium, ac Principum significasse innumeris locis testati sunt, ut Augusti, Eutropius; Claudii, aliorumq;, Xiphilinus; Vespasianus, ut erat facetus, conspectum, ad Regem Parthorum pertinere, qui capillatus esset, jocatus; mortis nuncium esse mox sensit, Sueton. Xiphilin. de Macrino, Dio: cui successit pestis Imperii Heliogabalus. A. D. 218. De Constantino M. Anno D. 337. Eutropius l. 10. Denunciata mors ejus per crinitam stellam, qua inusitate magnitudinis aliquamdiu fulsit: de Joviano, Amm. Marcell. ut & Valentiniano, l. 30. nam diebus antè paucissimis, ruinas fortunarum indicantia celsarum, arsere crinita sidera Cometarum. Biennio antè obitum Ludovici Pii Imp. A. D. 837. ut Calvis, ex Aymon. 3. April. Cometa sidus, Dirum semper ac triste portentum, in signo Virginis apparuit, intra penulam ejus & caudam serpentis, Hydræ, corvumq;, (eo ferè loco, ubi nuperus conspectus primum,) qui cum per XXV. dies, Leonis, Cancrì, Geminorumq;, signa pertransisset, in capite Tauri tandem defecit. Imperator tum piè; dicenti ex Prophetâ, non esse metuendum à signis Cœli, Jerem. 10. v. 2. Non alium, inquit, timere debemus, præter illum qui nostri, hujusq;, sideris Creator est: sed ejus clementiam non satis mirari & laudare possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores & impenitentes,

tes,

A.



res, talibus iudiciis dignatur admonere. Quia ergo & me & omnes communiter, hoc ostentum tangit, omnes pro posse & sapere, ad meliora festinemus: ne forte, misericordiam illo prorogante, & nostrâ impoenitudine impediante, nos illâ inveniamur indigni, refert scriptor qui præsens adfuit, & repetit Vossius l. cit. Rege digna sententia, Pio nomine & re, & cum omnibus, tum Regibus imprimis, auscultanda, lege totam historiam. Neque plura in hac classe addo: nam & qui recentiora tempora attigerunt historici, eandem opinionem tenuerunt.

§4. Jam 2. Poëtarum Testimonia multa audivimus. Homerus, ut apparet, hanc stellam crinitam, 4. Iliad.

ἢ ναύτησι τέρας, ἢ ἐ στρατῶ ἑυπέϊ λαῶν

Vel nautis portetum, vel exercitui lato populorum appellavit. Imitatus manifestè Claudianus 1. Rapt. Proserp. *non illum navitaturo, Non impune vident Populi.* Virgil. l. 1. Georg. *Dirum sidus dixit.* Silius 1. *Lethiferum micantem, & crine flammifero terrentem FERA Regna Cometen.* Virgilio item 10. *Æn. Cometa sanguinei lugubre rubent.* Lucanus l. 1. *crinemq; timendi sideris, & terris mutantem regna Cometam.* Silius l. 4. *Regnorum everfor rubuit lethale Cometes.* Petrus Apollonius Collatius (de cujus ætate Scaliger in Hypercrit. Margarinus tamen annis abhinc ferè mille scripsisse putat) lib. 1. Excidii Hierosolym. inter alia *cœli minacis monstra, Igneum gladium* descripsit, *sanguineis sparsum maculis, crinesq; timendi sideris.* Præfatus ista pia-pia cura Tonantis

Scilicet.

*Scilicet in magnis semper fuit ista ruinis,
Humanum monuisse genus : nec publica mundo
Pœna venit, cui non facies prænuncia cœli
Efficiat diversa fidem, &c.*

Huc imprimis faciunt Sibyllina Oracula, quorum apud eos, qui talia contemnere docent, aliâs magna est auctoritas, l. 3. ubi de Cometâ;

*Stella relucebit, gladii mortalibus index
Et famis, & mortis, præclarorumq; Virorum,
Atque Ducum interitus, &c.*

Quod & Connimbr. allegant.

55. At 3. de Philosophis supervacaneum est dicere: præter Epicurum cæteri ferè omnes veteres consentiunt, varia partim naturaliter, partim divinitus, mala portendere. De Aristotele & ejus asseclis notius est, quàm ut prolixè agendum sit, tædetq; omnibus obvia exscribere. Quare 4. ad Christianos Doctores veniamus, quos Patres salutamus. Hos inter Synesius de Calvitio totum hoc argumentum, secutus Aristotelem, absolvit. Ille hos *Φευδονύμης ἀσέρας* ait significare, *publicas calamitates, populorum ἀνδραποδίους*, Urbium everisiones, *Regum interitus: nihil parvum, nihil mediocre.* Sic Iscanius, vulgò Cornelius Nepos, de Bello Trojano l. 2. *regna Cometa dispensant.* Damascenus de Orth. Fide l. 2. cap. 7. vocat *σημεία τινὰ θάνατον δηλοῦν τῶν βασιλέων* signa quaedam mortis Regum nuncia; ac verè ait *Divino imperio suo tempore existere, & dissolvi, nec esse stellas.* Id visum fuisse quibusdam dictum est; Aristoteli & Manilio, &c. *Electram*, unam Plejadum, quidam crediderunt, rarò conspicuam.

Diffu-

*Diffusamq; comas corni, crinisq; soluti
Monstrari effigie: diros hos fama Cometas
Commemorat, &c. Avienus in Phænom.*

Sic Honorius sentisse videtur de Imag. Mundi cap. 137. *Cometa sunt stellæ crinite flammis, in Lactea Zonâ versùs Aquilonem apparentes, regni mutationem, aut pestilentiam, aut bella, ventos, aestus, vel siccitatem portendentes.*

56. Eusebius 3. Histor. Eccl. de prodigiis antè excidium Hierosol. *Mollire, inquit, mentis eorum duritiam nitebatur divina majestas, signis & prodigiis cœlitùs datis, terroresq; & minacem dexteram ostentando potiùs quàm inferendo. Sequitur narratio de Cometâ &c. Sic Egesippus, quisquis fuit, l. 5, cap. 44. Si voluissent credere, evidentia imminentis signa excidii habebant: quibus veluti claris vocibus admonebantur, finem sibi affore. Nam per annum fermè, supra Templum ipsum Cometes, passim ignis & gladii quandam præferens similitudinem, denunciabat quoque ferro, & igni, gentis & regni, urbisq; ipsius vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladii, nisi bellum? Quid ignis nisi incendium denunciaret? Putes ad id Manilii allusum l. 1. extr.*

*Quùm fera Ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitq; trium legionum sanguine campos;
Arserunt toto passim minitantiâ Mundo
Lumina, & ipsa tulit Bellum natura per ignes,
Opposuitq; suas Vires, finemq; minata est.*

57. Sanè Basilus, ubi negat Stellam Magorum fuisse Cometam, qui Regum mutationes & nova Imperia

peria portendere videatur; hoc non negat, homil. de Hum. Christi Generat. Origenes, quem Eusebius, Augustinus, aliiq; communiter secuti, *Signa coelestia nihil quidem in fatis efficere, significare tamen non nihil affirmant*, ex ejus hom. 2. in Genes. Cometæ prodigiis jure annumerantur, quæ quodammodo *contra naturam* fiunt: undè autem *prodigia, nisi quod porro dicant, id est, futura predicant?* Augustin. de Civ. DEI l. 21. cap. 8. Eorum motum regi ab Angelis, exemplo Stellæ Magorum, ex eodem de Mirabil. S. Scr. vel quicumque Auctor est, ut & in Serm. de Temp. & Theophylacto in cap. 2. Matth. & aliis, confirmari potest. Quâ de causâ? nisi quia DEI q. ad homines Linguæ cœlestes sunt? Illud omninò certum est, quod Johann. Saresber. l. 2. Nug. Curial. cap. 13. habet: *Hoc divina miserationis est, quod signorum suorum indicio, ignorantiam nostram quandoq; præmunit. Cometâ siquidem apparente, inquit, creduntur imminere Comitia (alii legunt tonitrua, rectius exitia) An ignoras terris mutantem regna Cometem?* Neque, puto, quisquam Ecclesiasticorum Doctorum, antè hos ex Epicuri Ludo, unquam negavit. Ipse Philostorgius l. 10. sect. 8. cùm descripsisset, *insolitum in cœlo Lumen κών & αἴμα præferens, quod plusquam IV. mensibus duravit*, sub Theodosio Juniore, etsi propter figuram inusitatam negârit fuisse Cometam; tamen testatus est *fuisse σημεῖον πολέμων μεγάλων, καὶ θορᾶς ἀνθρώπων & ῥήτης σύμβολον, signum gravium bellorum, & indicium incredibilis hominum interitus*, Glycas Annal. p. 1. cùm præfa-

D

tus

tus esset, id omnium confessione constare; nos de signis quibusdam, id quod futurum est, quamvis obscurius, prævidere & conjectare posse; Quid, inquit, multis opus est? qui conspiciuntur in aëre Cometa, naturali quidem ratione oriuntur; sed interim vel Regum, vel aliarum illustrium personarum interitus denunciant, quemadmodum Magnus ille, Cælestiumq; rerum interpretes Basilius, docet. Interdum aestus, vel ventos subsequuturos indicant. Idq; miseratione divinâ ait evenire, ut signa nobis subministret, de quibus futura prospicientes, hoc pacto securitati nostræ consulamus. Quod ita communis hominum sensus confirmat, ut ex paganis plerique crediderint, teste Manilio supra num. 35. Quamobrem, ut hanc alteram *Questionem* concludamus, audire decet

SACRÆ Scripturæ Oracula:

58. Quod vulgò dicitur;

Prodigia sunt mali imminentis nuncia:

id S. Literæ passim confirmant, cum testimoniis quibus talia prædicuntur, tum exemplis quibus evenisse referuntur. Nam quod de Ægyptiis habet Herodotus: *Plura ab eis prodigia comperta sunt, quam à cæteris omnibus hominibus: nam cum prodigium extitit, scribunt id, observantes quomodo evenit: & si quando postmodum hujus simile extiterit, exemplo prioris putant eventurum:* hoc de Sacris Scriptoribus, Populoq; DEI, manifestum est affirmari posse. Quæ in Ægypto, ante Populi liberationem, edita sunt, celebrat David Psalm. 78.

v. 12. 43. & 105. v. 27. Quæ antè Chaldaicam & Romanam Hierosolymò everfionem ; prædixit olim Joël, cap. 2. v. 10. & 30. neque pluribus nunc opus est. Ipse nos Dominus, fi talia fiant, oculos aperire, diligenter attendere, & quæ prædicta sunt accurato studio expendere juffit, Matth. 24. v. 15. Luc. 21. v. 28. &c. Neque abs re est, quod talia dicantur **אוֹתוֹת** *Othot*, à *veniendo*, quod aliquid venturum significant ; fivè quod *Litera* q. *fant*, in Tabulis cœli depictæ, ex quibus futura legi queant : & **מוֹפְתִים** *Mophetim* monstra, vel signa *evidenter* aliquid *demonstrantia* : & apud Chaldaeos **זִמְנִין** *Zimnin* q. d. *citationes*, quibus vel Creaturæ ad pugnam cientur, vel homines ad DEI tribunal vocantur. Optandum erat, ut aliquis hanc materiam *de Prodigis & Signis ex S. Literis*, debitâ industriâ elaboratam, nobis explicaret.

59. Inter hæc sæpissimè **IGNIS** memoratur, & alia quæ ad hunc locum propriè spectant, *μετέωρα*. Et quamvis Cometarum nulla nomine tenus fiat expressa mentio ; neq; illi ullum proprium habere nomen videantur in S. Literis ; (Chaldaicè & Thalmudicè dicitur hoc sidus, **זִיקִין** *Zikin*, à *Zakar* barbâ, q. *barbatum*) tamen sub nomine *Ignis* prodigiosi, & *stellarum* illos describi nil vetat, Judic. 5. v. 20. de Sifarâ dicitur : *De cœlo dimicatum est, contra eos : Stella, manentes in ordine & cursu suo, adversus Sifarâ pugnaverunt. Quonam modo ?* **DEUS**, inquit PhiloBiblicus, *præcepit astris ; Descen-*

D 2

dite,

dite, inquit, & incendite inimicos meos, ut sciant virtutem meam: & descenderunt astra, & expugnaverunt castra eorum. Si ut sonant verba accipias, fabula erit. Sidera in stationibus suis, velut exercitus in acie, steterunt: Sed, ministerio Angelorum Cometas & fulgura, ventorumq; procellas excitatas, ejaculari visa sunt; Indè Danicus Terror, & clades hostium, sic Abulentis & post alii Commun. sic Theodosio

-- Militat aether, & conjurati veniunt ad classica venti.

Neque incredibile est; noctu, quã pugnatum fuit, repentè terrificum Cometam, qui gladium igneum, ex aëre in terram usque, demitteret, conspectum, quem procellæ & terræ motus comitarentur, ita in feder olam, omnia quæ in cælo & terris sunt contra Sisaram pugnasse, dicitur.

60. De Chaldæorum exercitu Joël. 2. v. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma*: Quomodò ante? De igni qui Chaldæis in argenteis altaribus ante exercitum præferri solebat, non ineleganter interpretatur sanctius, vide Comment. meum in Joëlem, primitias meorum scriptorum, Anno 1640. Spiræ editum. At simplicius de *Cometâ* intelligemus, qui tum quoque visus fuerit, cum hæc Propheta nunciaret, ut ante ultimum Urbis excidium. Et hic potuit *siccitatis astusq;* ejus causa fuisse, quam cap. præced. v. 19. 20. deploravit. Sic postea cap. cit. 2. v. 30. inter Prodigia ultimæ everisionis recensetur *Ignis & Vapor fumi*. Nam ignis quo Judææ urbes, ipsaq; Regina Hierosolyma,

rosolyma, à Romanis incensæ conflagrârunt; & cætera mala, non prodigia venientis ruinæ, sed ipsa fuerunt. Præcessit igitur in terrâ Sanguis per varias seditiones largiter effusus: in aëre *Ignæ meteoræ, & fumi*, in cælo horrenda *Solis & Lune deliquia*. Quæ omnia à tempore Passionis Domini- cæ, usque ad Urbis & Templi Halósin evenerunt. Sed veniamus ad ejus prodigii significationem, quod hoc loco, quem sub manibus habemus, de- scribit *Jeremias*.

61. Quid ergò *Virga vigilans*, cauda Cometæ? celerem imminere DEI vindictam. *Quia*, inquit *Dominus, ego vigilabo super verbo meo, festinabo, ut faciam illud*. Quid *olla succensa*, corpus Come- tæ ollæ ardenti simile? modum vindictæ & instru- mentum, locumq; undè ventura erat; scilicet *ab Aquilone*, à Chaldæis. *Nam ab Aquilone pandetur malum*, exitium per hanc ollam flammæ undique spargentem ostensum, *super omnes habitatores Ter- ræ hujus*. Ipse *Eventus* postea per ὑποτύπωσις ita ob oculos ponitur, ut & *causa* puniens *Principalis*, DEUS; & *ministerialis*, populi Regnorum Aquil- onis; & *Objectum* pœnæ, Hierosolyma, cæteræq; urbes Judææ; & *causa promerens*, justitiam divi- nam provocans; apostasia à DEO & idololatria; & denique *finis*, gloria Divinæ Justitiæ, disertis Verbis exponantur. *Primò itaque DEUS pœnam minatur*; deinde τὸν τρόπον *modum* indicat, ut ha- bet Chrysostomus. *Virga DEI vigilat, cuncta Popu- li peccata considerans, ut percutiat & corripiat delin- quentes. Ad hoc enim Dominus corripit ut emendet.*

D 3

scili-

Quibusdam gradibus peccantibus tormenta tribuuntur, ut paulatim veniant ad salutem. Qui noluerint percutiente Virgâ emendari, mittuntur in ollam aeneam atq; succensam. Sancti autem non sunt habitatores terra, sed advena & peregrini, hæc ex Hieronymo. Hæc enim maxima DEI medicina est, servare agrotantem terrere, ad sanam mentem inducere, per visionem ipsam, per ocularem intuitum, reducere, & abstrahere, locumq; ac tempus dare ad poenitentiam. Quâ de causâ aliquantisper adhuc moratur, idq; molitur, ut fidem adhibeant dñi rñs õpew, mentem ipsum concutiens, vivamq; & spirantem orationem exhibens, Chrysostomus.

62. Ex his tandem omnibus conficitur

Conclusio I. Cometas non tantum esse signa Physica, Mundi q. agrotantis, & ut sic dicam febris ardenti, quam οπερον S. scriptura, Medici ναύωρα appellant, laborantis; cujus symptomata sint, quæ Cometis accidunt & eos sequi solent; venti, tempestates, æstus, siccitas, terræ sterilitas, aëris intemperies, morbiq; & mortes, de quibus Connimbr. ex Arist. Ex quibus απογνώσις de ipsâ Mundi q. ægritudine & causis institui possit: nam juxta Aratû, Crinita existunt multa squallentibus annis.

In Phænom. Itã inter alia Manilius l. i. circa finem:

Funera cum facibus veniunt, terrisq; minantur
Ardentes sine fine rogos, quàm Mundus & ipsa
Ægrotet natura, novum sortita sepulchrum.

Ubi tamen nota I. Talia sequi in primis Cometas aërios, qui quò nos propius tangunt, eò magis feriunt; æthereos verò, per Consensum & Sympathiam

thiam mundi superioris, cum inferiore, ut rectè sta-
tuebat Nuperus Auctor Viennensis, non minùs
afficere terrena corpora, sed occultius & subtilius:
 2. Non sequi autem semper, nisi & causæ particu-
 lares ac propiores concurrant. 3. Sæpè effectum
 itaque suspendi, vel ab his, vel à primâ causâ. 4.
 Tandem tamen *Mundo esse salutare*; ut ex mor-
 bis debellatis oritur constantior sanitas. Sic enim
DEUS magna hæc corpora curat, ut inæqualitatem re-
vocet ad coæquationem, &c. Per omnem enim natu-
ram commeat, rumpendo, concinnando, solvendo, jun-
gendo, fundendo: Aridum liquefacit & solvit, guttas
evaporat, laxatum aërem condensat, continenter su-
perna submovet, & inferiora stabilis: Hæc est Mundi
agrotantis curatio! ut piè vereq; Heraclitus in Epist.
 ad Amphidamantem: verum etiam, quæ est

63. *Conclusio 2. esse frequenter Signa Hy-*
perphysica, à DEO creata & assumpta, ad significan-
das eas calamitates, quas homines suo sibi q. jumē-
to, suâq; culpâ, accersunt. Hac ratione Imperiorum
portendunt Mutationes, eaq; quæ vel præcedunt
eas, vel sequuntur: qualia sunt; Regnantium mor-
tes, bella, everfiones urbium, vastitas regionum,
& id genus. Sic ergò multis funerea faces sunt, aliis
tamen salutare; DEI electis semper: his enim fiunt
signa Theologica, & ἐμφυχοι λόγοι, ut dicam cum
Chrystomo, viva commonitiones, de Mundo, de
Angelis, de Microcosmo, inprimis de Tempera-
mento Misericordiæ & Justitiæ Divinæ. Quæ
omnia ex dictis adeò sunt manifesta, ut neque qui
Epicurum defendunt, audeant negare. Hoc

D. 4

scili-

scilicet *Anima Testimonium est. Neque DEUS, neque natura mentitur: ut & natura & DEO credas, crede Anima, ait Tertullian. de Testim. Animæ cap. ult.*

64. Sit itaque immotum, *Cometas Ira Divina nuncios esse, sed & Clementia: Timendos iis, qui non timent DEUM. Quia non metuendi*

Causa, Timere DEUM: quem quisquis non timet unum,

Omnia jure timet, ut S. Paulinus cecinit.

Quod non semper eveniant, quæ minantur; indè est, quia *mina* plerumq; sunt eventuum, *non cause*. Arbitraria signa sunt DEI, terrere sæpius volentis, quàm ferire, Jerem. 18. v. 7. 8. 9. Amos. 9. v. 8. 9. 10. Quod ajunt, *non consistere, neque uni loco impendere*; utrumque aliter esse docuimus; nam & quidam immobiles sunt, & super certa loca fixi: cum verò altiùs evehuntur, supra plurium Populorum vertices, pluribus meritò metuendi. Deniq; *Optimates magis respiciunt, quàm plebejos*: quia major de illis cura est DEO. Et quamvis *unius corruptio, sit alterius generatio*; tamen vicissim unius generatio, alterius est corruptio. *Clades Turcarum sunt nostræ victoria: sed Turcarum victoriæ sunt nostræ clades. Neutra pars, inquis, habet, quod cœlitùs illas magis metuat, quàm has speret: Verùm rectissimè subnectis; si humana omnia sint paria: ubi igitur non sunt, habet altera quod magis metuat, quàm quod speret. Et uti*

Ilacos intra muros peccatur, & extra;

Sic intra Ecclesiam & extra: graviùs tamen intra, quàm

quàm extra: sæpiusq; irascitur DEUS suis, quàm extraneis: *Quia magna ira est: quando peccantibus non irascitur DEUS*, Hieronym. ad Castræfium; *tunc enim magis irascitur DEUS, cum non irascitur*, Bernhardus serm. 42. in Cant. vide Amos. 3. v. 2. Luc. 12. v. 47. &c. Quamobrem superest, ut expediamus.

65. Quæstionem Tertiam: *An & unde cognosci possit, quid Comete & quibus indicent?* Vehemens hîc Gassendus, & acutus: verùm vehementia sine causâ est; fluctus movet in simpulo; *acumen nimis tenue*, quod de Chrysippéo dixit Seneca, *retunditur, & in se replicatur: pungit, non perforat*. Dices, inquit; *Cometas divinitus ad aliquid nobis significandum usurpari: Ac sanè id fieri posse non inficior*. Benè habet: & fieri & adeò posse fieri, verò & argumentis vicimus. Quid ergò? *sed inzerim*, pergit, *undè nam constat id reipsâ fieri? an aliundè, quàm ex Vanitate, quâ miseri turgescimus, dùm digni nobis ipsis videmur, propter quos hac ostenta fiant?* Primum si ostenta sunt, quomodò nihil ostendunt? & cui, si non nobis? an potius brutis, in ventrem pronis? an Angelis, qui consilii divini conscii & administri, talia nostri causâ efficiunt ac moderantur? *Deindè an indigni nos, propter quos fiant? propter quos omnia & fiunt & facta sunt, quosq; DEUS in hoc q. Theatro posuit, ut spectatores simus rerum supernarum & cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud animantium genus pertinet, ut Cicero rectè judicavit: denique quorum causâ ipse Mundus, & ut dicam quod ma-*

ximum est, ipse DEUS Verbum Homo factus est. Quis unquam de Homine tam abjectè, quis æquè in DEUM ingratiè sentit? nisi Epicurus, quem loquentem hinc mihi omninò video audire. Undenàm, inquit, constat? diximus, undè: ex testimonio Naturæ, Experientiæ, Animæ, & DEI ipsius *Magistri magistrorum*, ut loquar cum Tertulliano. His immorari nimis longum est, Pergamus, & audiamus cætera.

66. *Quid enim? declaravitne Ter Maximus DEUS, fore, ut si quando Cometa in occasum tendat, caveamus ab externis; sin in ortum, à domesticis: An Principes admonuit, ut caveant ab iis Cometis, qui matutinum occupant signum, factum ipsis horoscopum, aliasq; consimiles nugas? Rectè; nugas nugonibus istis maximis relinquamus; DEUS non nugatur: alia seria & cavenda declaravit, & admonuit, quæ mox dicentur: nàm indignos nos dignatus est alloqui & erudire: ut scias hominem non esse tumultuarium opus, neque temerè ex limo Epicuri calefacto, uterisq; nescio quibus, quos radicibus terra coherentes primùm aiebat increvisse, membratos provenisse, apud Censorin. de Die Nat. cap. 4.*

67. *Quid porrò? Qui patienter, inquit, istos feramus, qui sic speciatim omnia definiunt, sic bellè sibi sapiunt, quasi, quod ille aiebat, Jupiter Opt. Max. admisserit ipsos in concilium DEorum. At enim verò nos neutros patienter feremus, nec ariolos istos curiosos, nec Epicurum contra Providentiam grunniensem. Quid tùm? annon obsequio patienti audiemus & feremus, qui, quantum opus nobis*

bis est, & sufficit, talia ex Verbo DEI, & rectâ ratione definiunt, nec sibi sapiunt, sed DEO? Nam quid *Jupiter* ille, nec bonus, nec magnus, nedum Opt. Max. *Junoni* sua in aurem dixerit, nauci facimus, ut & ipsum, cum toto concilio DEorum suorum. Quid multa? *Nemo* scilicet, inquit, *satis* attendit; quia neq; sibi cum *Seneca* *satis* id objicit: Ergo tu in tantis erroribus es, uti existimes, DEOS mortuum signa præmittere, & quicquam in terris esse tam magnum, quod perire mundus sciat. Obsecro Te, Christiane Lector!

Ut nemo in sese tentat descendere! nemo!

Et tu, ô bone, in tantis erroribus es, uti neges DEum mortuum signa præmittere, aut mortales variis modis suæ admonere fragilitatis? Mundus nihil scit; DEUS omnia; etiam capillos capitis nostri, quos in numero habet. Potestne magis esse error abominabilis, quam negare hoc? ac statuere, DEO nesciente perire, non dico Principem, sed vel unicum ex infimâ plebe, hominem? quo nihil majus habet mûdus? Verbum nō amplius addo.

68. Hic si dixerō & demonstraverō; Unde cognoscere possimus, quid & quibus *Cometa* portentant? Causa perorata est. Faciam id breviter; nam in calce sumus. *In manibus terre.*

Undenam igitur? Tria invenio cognoscendi principia: 1. *Sophisticum* falsum & fallax; 2. *Topicum*, conjecturale & probabile; 3. *Apodicticum*, demonstrativum, & infallibile. De singulis pauca; nam totum hoc exhaurire, nec hujus loci est, nec meæ professionis.

69. *Sophi-*

69. *Sophistica Principia sunt, qualia vulgò Astrologi, ex vanis & superstitiosis paganorum lacunis, afferunt. Talia sunt quæ Plinius recitat l. 2. c. 25. Referre, inquit, arbitrantur, in quas partes sese jaculetur; de quo postea: aut cuius stella vires accipiat; quod æquè in abdito est: quasq; similitudines reddat, & quibus in locis emicet: V. gr. Tibiarum specie, Musica arti portendere: obscenis autem moribus, in verendis partibus signorum: ingenuis & eruditioni, si triquetram figuram, quod ratamve, paribus angulis, ad aliquos perennium stellarum situs edat: Venena fundere in capite Septentrionalis Austrinæve serpentis. Horum quædam ad eò sunt germanæ gerræ, ut vel Crasso risum queant extorquere: ut si quis dicat, acontiam minari sagittariis, Pogoniam barbatis, Xiphiam gladiatoribus, Cerialiam cornutis, Hippeum equitibus, Pithiten vel doliariis, vel crassis ventribus: sed pergo. Solet enim stultitiæ notam incurrere, quisquis laborat stultissimè dicta refellere, ut quidam dixit.*

70. *Ad hanc classiem refero, quæ ex Ptolemæi quadripartito opere & Centiloquio promuntur: Si Cometa, undecim signis a sole distantes, in cardinibus apparuerint, Rex aut Princeps morietur: Sin in loco succedente, benè habebunt se ejus thesauri, sed gubernatorem mutabit: at si in declinante, repentine mortes erunt: Si ab occasu moveatur in ortum externus hostis veniet; sin contra, domesticus. Martiales & Mercuriales, quos ex coloribus volunt agnosci, illos flammeos & rubicundos; hos albos &c. bella, exilia, mortes portendunt: Mars enim discordias & cædes;*

cædes; Mercurius dolos & fraudes significat. *Loca*, in quibus futura contingent, ex locis signorum Zodiaci, & ex iis, quæ sunt in directo stella caudata, cognoscuntur; *Species eventuum*, ex formâ accidentis: duratio, tempus indicat: cum manè apparebit, mox eveniat; cum vesperi, tardius. Sunt alia ejus generis plurima, quæ doctissimi quiq; ut incertis, imò falsis, hypothefibus nixa, ridenda propinant. Neque nunc in Astrologos conjectores differendi locus est, & materiam hanc Summi Sanctissimiq; viri dudum occupârunt. *Artes has*, quas Ægyptii & Chaldæi, sed serò, ut ex Senecâ didicimus, pepererunt; Arabes inter mortuas pænè ex Orco reduxerunt, Christiani quidam, si tamen, ornare studuerunt; damnatas DEI Verbo, & Ecclesiæ Catholicæ consensu, sæpè è Rebus publ. proscrip-
tas; has, inquam, omnes artes, vel nugatoria, vel noxiæ superstitionis, ex quâdam pestifera societate hominum & Dæmonum, quasi pacta infidelis & dolose amicitia constituta, penitus repudiandas & fugiendas Christiano esse, rectè censuit S. Augustinus, quâ de re vide *Alex. de Angelis in Astrolog. Conjector. lib. 5.* & alibi passim.

71. *Topica*, quæ experienciâ & ratione probabili, cum S. Literis non pugnante, nituntur, opinionem efficiunt, cui tamen aliquandò falsum subesse potest. Talia sunt, quæ nobis *Propheta noster* suggerit, sumta 1. à colore, & figurâ: igneus ille, quem vidit, similis, quoad caudam, Virgæ, seu baculo, qualem Judices populi gestare solebant; quoad corpus, ollæ succensæ, vindictam DEI judicis, & ignem, id est Halósin, minabatur. Sic candidum salutarem ad propagandam fidem; sanguineum & rufum bella; nigrantem & obscurum, famem; pallidum,
mortes

mortes prænunciare, ex Apocal. cap. 6. v. 2. & seqq. con-
 jicere licebit. De variis figuris & eventis exempla su-
 præ attulimus.

72. Deindè, 2. à Motu. Nàm celeritas proprii motus,
 celerem pœnam nuntiabat: eaq; mox post *Josia* Regis
 secuta est mortem, meritò justis threnis deploratam, 2. Pa-
 ralipom. cap 35. v. 25. Sic enim Divina Providentia Regna
 mutatura, è medio tollit Principes, quorum incolumita-
 te stat Salus publica, quiq; pietate ac justitiâ suâ prope-
 rantem vindictam possint remorari. Horum igitur obi-
 tum etiam à Cometis significari, nihil puto vetat: is
 enim plerunque calamitatum intentatarum principium
 est. Quod ad publicas preces nobis esse debet incitamen-
 tum, Jerem. 29. v. 7. Baruch. 1. v. 11. 12. 1. Tim. 2. v. 1. 2.
 3. Adulator est Firmicus cum scribit: *Solus Imperator
 stellarum non subjacet cursibus, & solus est, in cuius fato
 stella non habent decernendi potestatem: Cùm enim sit totius
 orbis Dominus, fatum ejus DEI summi judicio gubernatur:
 & quia totius orbis terreni spatium Imperatoris subjacet po-
 testatibus, etiam ipse in eorum DEorum numero constitutus
 est, quem ad faciendâ & conservandâ omnia divinitas sta-
 tuit Principalis, l. 2. cap. ult.* Nàm ut de Fato stellarumq;
 potestate impiè proposuit; in Manibus Domini omnes
 sunt sortes nostræ! ita optimè de Providentiâ speciali, in
 summos rerum arbitros, subjunxit: Verùm contrarium
 potiùs inferre debuit: Quæ contra aut supra naturam in
 cœlo spectantur, tantò magis metuenda sunt summari-
 bus, quam infimaribus; quantò major de illis cura est
 Numinis, majorq; ex eorum interitu calamitas. *His stan-
 tibus omnia florent!* Sic judicavit suprâ num. 53. Ludovi-
 cus Imperator Anno 837. verè Pius. Illud verò quod
 præfatus erat Firmicus; *Non oportet, nec licet, ut de statu
 Reip. aliquid nefariâ curiositate dicamus; sed & sceleratus
 atque omni animadversione dignus est, si quis interrogatus
 de Fato dixerit Imperatoris:* hoc inquam, in pagano
 Astrologo tantò magis laudandum est, quantò minùs
 ferenda nostrorum Calendariographorum temeritas, piis
 omnibus execrabilis.

73. Adhæc

73. Adhæc 3. è terminis motus : Nam ab Aquilone veniens noster Prophetæ, tendensq; Hierosolymam, undè & quo ventura esset pœna designabat. Sic qui certæ regioni, aut urbi impendent, quorum exempla vidimus, quibus minaces sint, ipsi demonstrant. Ità non abs re est, quod nostrum, (quem in Hydrâ primùm conspeximus, signo aqueo; ex quâ ad Tropicum Capricorni delatus, reversusq; in Eridano ☿ Ceto apparuit, undè in Arietem provectus nobis propiùs illuxit;) docti quidam conjectant, Aquaticis & Marinis populis minari, à quibus bellum in Europâ conflatum, ad Indos fortassis profecturum, inde in Europam reversurum, non sine fundamento, metuendum videatur.

74. His addi potest 1. duratio, moram malorum; & 2. frequentia talium, certitudinem ut sigillis obsignatam, innuens. Quid frequentes Cometae sub Nerone, & qui antè ac post Ludovici Pii obitum visi, denotârint, ex historiis manifestum est. Qui ejus obitum præcessit, nostro huic nupero, valdè similis apparuit. Si de similibus simile ferri debeat judicium; conferamus tempora, ejusq; Potentiæ, quæ sub Pio isto Imperatore cœpit, longisq; Ecclesiasticorum ac Politicorum collisionibus aucta, per octingentos annos huc usque progressa est, Periodum consideremus.

75. An ex asterismis, intra & extra Zodiacum, significatio peti possit? minùs certum est. Celebres tamen Astrologi ferè conveniunt hodiè; Loca illa Imaginum Symbolica, eò quod Intelligentia Cometa Rectrix non ignorârit, elegeritq; præ aliis ad cursum Cometa conficiendum, non vanè assumpta fuisse; idq; ajunt, Symbolorum Interpres sibi aliisq; haud dubiè persuadebit: Verba sunt Astrophili cujusdam, ex Judicio ejus de Cometâ Anni 1652. Coloniae impresso. Certum est, hos asterismos nullas ad efficiendum vires habere. Si quæras quid significant? Respondebo interim, illud verus: Non liquet. Quam antiqui sint isti asterismi? qui primi Cœlum hieroglyphicis imaginibus inscripserint? quo fine? quid singulæ lignent? negotium majoris curæ & altioris est indaginis. Nos ad exitum properamus; Vide Alex. de Angelis l. 4. cap. 23.

76. Hactq.

76. Haftenus *Topica* & *conjecturalia*: supersunt *Apodictica* & *demonstrativa*, quæ *ex Revelatione divi-
nâ* pendent; non quidem nunc *immediatâ*; quam post *S. literas* nuspiam exspectandam scimus, & si vel alicui obtingeret, an verè sit? nesciremns: quod alibi demonstratum satis est, in *judicio de Novis Prophetis*, quod *Apocalypica Indici*, contra *Anonymi Cladem referatam*, præfixum extat: Ergò ex eâ quæ per *S. Scripturam Communis* est omnibus fidelibus.

Scimus autem 1. *Magnis peccatis magna deberi supplicia*: 2. *Quid DEUS* hoc ipso loco *Jeremiæ*, *apostatis & idololatriis*: non tam crassis illis extra *Ecclesiam*, quam & subtilioribus intra eam, *comminatus* sit? 3. *Gravius punire DEUM Populum suum*, quam *hostes*, dum in terris versamur, ut *conversæ Electorum reliquiæ* olim salventur in *Cœlis*. 4. *Horrendas calamitates, horrendis à DEO indicari prodigiis*: 5. *Nos propè à fine Mundi abesse, tempusq; in quod incidimus, ultima ira, & DEI, & permisso ejus Diaboli, esse*. Denique 6. *quas pœnas, & quibus, ante novissimum Diem-quem nobis Vatum predicta priorum Terribili monitu horrificant, Daniel in primis, & S. Johannes in Apocalypsi, omnium ferè Christianorum Interpretum consensu, prædixerint. Quæ si singula explicare cuperem, nova & longa mihi exordienda esset tela.*

Anno Dom. 1106. *insolita stella in Austrum & Occidentem lucere visa est: & per 25. dies eadem semper horâ circa Vesperum splenduit. Non multo post Cometes longos & flammeos crines manè ducens apparuit.* Elmerus Monachus *Malmasburiensis*, hoc conspecto, exclamâsse dicitur apud *Schedelium*, citante *Wolffio Cent. 12. pag. 346. Venisti tandem, Venisti multis matribus lugendum malum! dudum est, quod te vidi: sed nunc multo terribiliorem te intueor, Patria hujus, Angliæ, excidium supremum minantem! Nos & timeamus; nam justus semper timidus est; sed & speremus: parati ad quidvis ferendum dicamus:*

Salve flagellum DEI!


suspiremus;


VENI DOMINE JESU, VENI!


Amen.

7.
st
a-
e
st
7.
a
o.
o.










gendo einem da da wird geseher
genda einer die da wird geseher
wie legendo einem der da wird
werden /
gendi eines das da fol oder
genda einer die da fol oder
lesen werden /
jus legendi eines der da fol oder
gendum eines das da fol oder
werden /
egenda eine die da fol oder
gesehen werden /
ic Legendus einer der da fol
E G E N D U S .
A R T U M P A R A D I
his lectis von denen die da gele
ta o ihr die ihr gesehen sehd /
ta o ihr die ihr gesehen sehd /
ta o ihr die ihr gesehen sehd /
lecta die oder diese die da gele
lectas die oder diese die da gele
lectos die oder diese die da gele
lectis denen die da gesehen sind
tum lectorum deren die da gele
um lectarum deren die da gele
wie legendi dem der da hieser /







S. JEREMIÆ,
VIRGA
VIGILANS
ET
OLLA SUCCENSA
Occasione
Terribilis nuper visi
COMETÆ,
proposita, & illustrata
à
JOH. HENRICO URSINO.



NORIMBERGÆ,
Sumptibus Hæredum JOHANNIS
TAUBERI,
Typis CHRISTOPHORI GERHARDI.
ANNO M. DC, LXV.

